29

ORATIO DIDASCALICA ET PIA IN EVCHARISTIAM CONTRA HETORODOXOS:

Egenete tà dacrya muy emoi artos hemeras kai nyctos en tò legestai moy poy estin hò theos soy. *Psal.* 41.

Fuerunt mihi lacrimæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidiè vbi est Deus tuus. Psalm. 41.



SVPERIORUM PERMISSV.

GADIBVS in Officina Christoph. de Requena, anno Domini 1698.

DEDICATIO.

COrpore pro Corpus, Sanguis pro Sanguine Sacro
offertur, velut, ingenis, modo, ſcribo laborem;
ecce; corona, leo, ſignat, mea nardus odorem,
hocce meum corpus reliquis præſumit honorem:
miſcet eques panem, vinum, componere menſam;
micà vel guttà ſaturi formica, catelli:
vt Domini, Domini Illuſtriſsimi, ego Gaditani,
maximi JERONIMI de TERRA, gratia, VERA eſt,
magnæ prolis gratia ero, hoc opus, hic labor eſſe.

D. D. D. H.

INTRODUCTIO.



TRistis es anima mea quia dicunt tibi vbi est Deus? Ecce monumentum vaccuum reliquerunt tibi, abstulerunt Dominum tuum, & nescio vbi posuerunt eum: nolito flere præ mærore, fleto autem præ gaudio; ecce enim annũtio tibi lætitiam magnã, quia transtulerunt eum in monumentum alterum valde honorificum, vbi sepulchrum eius est domus eius in æternum: transeamus in Bethlehem in voce exultantis, & epulantis, ibi reperiemus eum scilicet in domo panis Sacramentalis monentis mentem, quoniam cubat hic in meridie, prandens nobiscum, tanquam in loco pascuæ suæ: properemus, quando veniemus ante faciem Dei, speciem panis continentem, quæ intrinsecus latet, Deo plenam, substantiam carnis? Panes eorum qui dicunt quoniam panes sunt, fuerunt tibi, ò anima mea, lacrimæ doloris die ac nocte, dum per singulos dies dicunt, vbi est Deus tuus? Sint autem tibi quotidiè lacrimæ puræ devotionis, quoniam, sicut scriptum est, *non sunt, sed fuerunt panes*, dum sacris verbis dicitur tibi, vbi est Deus, & ego effundam, in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque in domum Dei: igitur muta fiant labia dolosa dicentia, sursum est in cælo, non est hic in solo, nisi monumentum eius solum; sed deploro eorum ignorantiam quorum detestor pertinaciam, contra veritatem, protestantium Augustissimi Sacramenti: dicunt namque sunt panes quos consecramus in meras figuras; qualiter effundet isti lacrima teneræ pietatis, & spiritualis gaudij, cum nobis dulcissimæ, fuerint, contemplantibus in fide, fuisse panes, quæ modo caro Dei est; convertitur enim panis in verum Corpus Christi, solis accidentibus panis remanentibus, dum

Psal. 41 *v.*6. *Io.* 20. *v.*13. *Psal.* 48 *v.*12. *Luc.*2. *v.*15. Bethlehem domus panis Sacram. *Cant.* 1. *v.*6. *Ps.*22. *v.*1. *Psal.* 41 *v.*3. *Ps.*41, *v.*1.

dum, verbis viuificis Sacerdotum ſcilicet : *Hoc eſt Corpus meum* dicitur quotidiè vbi eſt Deus noſter : totus hic Pſalmus 41 adaptatur à Sancta MatreEccleſia, Sacroſanctæ Euchariſtiæ miſterio, igitur ſub illius obedientia accomodabo verba ſupra poſita iuxta exiguum deuotionis meæ modulum in ſolamen fidelium, nec non in errantium converſionem, ſcilicet vt pijs motivis excitem omnium voluntates in piam affectionem, nec non inſtruam eorundem intellectus in rectam fidem tanti, ac tam admirabilis miſterij.

Diviſio Orationis Vbi miſterium Euchariſtiæ demoſtrãdum primò per rationes moventes piam affectionem volũtatis, deinde intellectus aſſẽſum.

§. I.

Benevolentia captans voluntatem.

2 ANnuntiemus igitur, anima mea inter gentes ſtudia eius qui habitat in Syon, equidem exquiſitæ ſunt inventiones eius in omnes voluntates eius, vt vinculis charitatis devinciat nos creditui in ſcrutabilis arcani prætioſi Corporis, & Sanguinis Dei noſtri dignantis cohabitare nobiſcum in Sion. Ideſt in ſpecula, ſeu in ſpecie panis candidi: accedunt verba potentiſsima ad creaturam panis, & ſubitò tranſubſtantiatur in CorpusDomini, vt quod profuit omnibus in redemptionem prodeſſet quoque in omnium quotidianam refectionem vſque in conſumationem ſæculi, ita Domine cum ab initio dilexiſſes tuos, vſque in finem dilexiſti eos, tu igitur ipſe es, qui ades, & non creatura tua, Deus meus, quia non ſunt ſed fuerunt panes, iuxta regulam rationalis philoſophiæ reſtringentem panes, pro illis, qui fuerunt, ſed modò non ſunt tales, dum verbis ſacris, efficacibus, & practicis, nobis dicitur quoniam Deus noſter eſt.

Pſal. 9. *v.* 12.

Ioan. 13 *v.* 1.

3 Verè Deus noſter eſt, cum panis tranſit in carnem, & vinum in ſanguinem horum ſpeciebus tantummodo conſiſtentibus, vt excipiamus Deum noſtrum in caſta dilectione tenentes, nec dimittentes, eum cui delicijs eſt in habitare in-

Cant. 3. *v.* 4.

inter filios hominum ſub candida panis ſpecie, vt cando- *Prov.8.*
rem reſtituat iuſtitiæ conſervet nutriat,augeatque, vt vbi *v.32.*
ſaturitas, & abundantia panis provocaverant in iniquita- *Ezec.*
tem,& inæbriatio vini in luxuriam, panis cæleſtis,& vinum 16. *v.*
deificum corporis, & ſanguinis Dei noſtri foret nobis fru- 49.
mentum electorum, & vinum germinans virgines, vt ſci- *Epheſ.* 5
mus ſancti corpore, & ſpiritu ſemper contemplantes mag- *v.*18.
nalia divini erga nos amoris qui tribuit nobis cibum de *Zach.*9.
cælo in abundantia, vt nauſeet anima noſtra ſuper eſcam *v.*19.
leviſsimam panis terreni, vnius ſcandali,laborum, & rixa- 1.*Cor.*7
rum filiorum hominum quorum Deus venter eſt, & gloria *v.*34.
in confuſionem ipſorum, qui pro panbius iſtis ſeſe locave- *Num.*
runt,quos Deus verus quam avidè cupit collocare ad men- 21.*v.*5.
ſam propriæ paſcuæ ſuæ in communione panis Diuini ſub *Phil.* 3.
ſpecie terreni, vt vel hoc pio ſtratagemate ibi Deum repe- *v.*19.
riant vbi Deum pro pane perdunt, & cohibentes rixas non *Cant.*
laborent neque ſitiant ampliùs ſed pane, & potu vitæ, & *Apoc* 7.
intellectus vivant in æternum. *v.*16.
Eccleſ. 15.*v.*3.

4 Prolixum foret recenſere omnia bona quæ abſcondis Deus ſub hoc mirabibili Sacramento tuo in quo confers nobis omnes divitias amoris tui,quomodo non omnes qui temetipſum totum apponis ſub minima quaque ſpecie panis tui? hactenus iſta paula dixerim ò anima mea, vt te quodamodo benevolam reddam avidamqne huius panis deifici, ecce loquor placentia tibi, mirabilia ſed non impoſsibilia tibi annuntio,tu autē ab horreas à meræ vanitate figuræ, & libenter amplectaris veræ bonitatem carnis Dei ſecurè, cōditio tua naturaliter propendit ad credenda imo coniecturanda ſibi bona vtiliaque, deteriora autem atque diſplicentia omnino reſpuit, aperi igitur os tuum, & dilata illud,& ſatiabit te Dominus plenà, divinitatè, carne ſua; quid tibi cum figurà egenà cum rei veritatem habeas, niſi velis infamari de illa inſigni fabulà canis Eſopi qui inhians in vmbrā perdidit eſcam?

Conc. Trid.

*Iſai.*30. *v.*10.

§.II.

§. II.

Rationes moventes piam affectionem.

1. Pet. 3 5 VErumtamen oportet omni poſcenti nos rationem
v. 15. fidei reddere noſtræ,ne citò credentes inveniamur
leves, & multi dicant quis oſtendet nobis hæc bo-
Pſal 4. na, ſcilicet vt fructus frumenti terreni ſit idem ac fructus
v. 6. ventris generoſi, quo cibantur fideles Domini; multi nam-
Joa. 6. que putant eſſe impoſsibilia, abſurda,& indecentia, ea quæ
v. 54. credimus,dum dicũt: *Durus eſt hic ſermo quomodo poteſt hic*
v. 38. *dare nobis carnem ſuam ad manducandum* : Sed quis es tu
(ò homo) qui talia audeas evomere contra Omnipoten-
Pſ. 70. tiam? Nonne ſcriptum eſt quoniam non cognovit litrera-
v. 15. turam qui præſumat introire in potentias Domini , imo
doctus à Spiritu Sancto Regius vates, nec non à iuventute,
Pſ. 70. ad ſenium vſque, ſapientiæ ſtudio addictus, tandem planè
v. 19. fatetur potentiam tuam vſque in altiſsima domine, & co-
Sap. 9. gitationes mortalium timidæ, & mendaces filij hominum
v. 14. in ſtateris ſuis appendent valorem eius?
Pſal. 61
v. 10. 6 Quinimo hæc erit, quæ ei favebit,recta omnipoten-
tiæ exiſtimatio, pro quà certa poſſeſsio, quæ virgam in ſer-
pentem, aquam in vinum, aliaſque plures creaturas viciſ-
ſim in alias commutaverat olim, quam perinde nefas eſto
non credere, non poſse modò transſubſtantiare panem in
carnem, & vinum in ſanguinem propter noſtram ſuſtenta-
tionem: igitur non perterreant monſtra impoſsibilium quæ
eructant inſcij contra miſterium , nec fœda , quæ blaterant
impij, offendant piarum indolem aurium, neque apparen-
tes rerum aut verborum ſpecies fallant obtectum, quo mi-
nus certò, firmiter , & devotè adhærentes adhæreamus
ſummo bono noſtro,in hoc Sacramento,latenti; iſtæc nam-
que nihil omnino ſunt, neque impoſsibilia exiſtunt , ſed
Confu- videntur tantummodo, neque indigna habentur; quæ ma-
tatio. ieſtatem nequaquam lædunt, quam potiùs extollunt , de
quà

quà triumphat amor quo alma Deitas, & creaturæ suæ in vno ventre concorporantur; siquidem non omnia, quæ apparent, semper vera probantur, nec iuvat bonam voluntatem evidentia misteriorum, sed potentiam cæcam in fide obscurà sufficienter, & efficaciter atrahit immensa bonitas omnipotentiæ *vsque ad interiora velaminis*, vbi caro Dei verè est cibus, sanguis potus, & Deus noster totus. *Heb. 6. v. 19.*

7 Confitemur quidem admirabilem conversionem istam nobisque incomprehensibilem existere, ac proinde nunquam potuisse in mentes incidesse nostras, vt pote omni ratione, & inventione omnino incognitam, nisi perpetua rei traditio, certaque scripturarum authoritas ipsam genio nostro inseruisset; id quod me quàm maximè confirmat in fide ipsius, quod ratione humanà non fuerit ad nos allata, cũ tamen quantò humanam super excedat, tantò parvuli, & magni promptissimè suscipiant eam, incunctanter captivantes omnes sensus suos in obsequium fidei; esto sanctà Dei permissione aliquoties nonnulli graves in hac re patiantur tentationes, absit tamen ab hac veritate retrocedere, sed cum prophetà clamare in admiratione, Domine cum operatus fueris mirabilia tua quis sustinebit te, nec oculus vidit, nec auris absque te audivit, nec in cor hominis ascendit quæ præparasti Deus diligentibus te: quis inquam sustinebit te Domine, aut veritatem duri sermonis tui, realis præsentiæ tuæ, per conversionem eorum qui fuerunt panes, sed non sunt, nisi Corpus Christi, dum Sacris verbis *Hoc est Corpus meum* dicitur quotidiè vbi est Deus, omnibus, & maximè diligentibus te? Pia affectio, & charitas sancta nostra innitentes omnipotenti charitati Dei libenter amplectentur, & vsque ad aras defendent hanc nobilem veritatem thesim sustentationis nostræ, scriptum est enim quoniam charitas omnia credit, omnia sperat, omnnia sustinet.

Pia affectio asumatur. *1. Cor. 10. v. 5.* *1. Cor. 2. v. 9.* *1. Cor. 13. v. 7.*

8 Sacri Evangelistæ specialem faciunt mentionem omnipotentiæ, & delectionis Christi accedentis ad institutionem huius Venerabilis Sacramenti, non alia, vt puto ratio-

tione nisi vt domonstrarent maximum hic opus seu memoriale mirabilium Dei tractari, ac proinde totam omnipotentiam totumque amorem divinum occupari circa ipsius perfectionem, ait enim sanctus Ioan cap. 13. *Sciens Iesus, quia*
Jo. 13. v. 1. *omnia dedit pater in manus suas, cum dilexisset suos vsque in finem dilexit eos.* Et statim idem Evang. subiungit institutionem Eucharistiæ: Et quomodo non omnia tradiderat in manus & potestatem Christi, qui dedit Deum, & hominæ
in fine ps. in cibum nostrum? Et verè quidem dilexit eos vsque in finem scilicet Christum ipsum, cum omnipotente virtute amoris sui concesit eis quandam sui fruitionem disponendo, vt ederent, & biberent ipsum in mensa noctæ cænæ; vsque in finem dilexit eos tanquam pater amantissimus huius, & futuri sæculi mandans eis novum testamentum prætiosi corporis sui proprio sanguine confirmatum, & subsignatum in Sacramento, id quod est magna pars hæreditatis nostræ & pignus futuræ gloriæ, vt verè liceat dicere, Domi-
Ps. 15. v. 5. nus pars hæreditatis meæ & calicis mei in hoc mundo, tu es
Gal. 4. v. 3. qui restitues alteram in futuro; nam cum pro nunc vivamus, sub clementis mundi tanquam sub tutoribus parvuli
1. tom 6 v. 8. & imperfecti, non convenit nobis plenæ hæreditatis, plena possesio, sed sufficit nobis gratia viæ quam vestiamur, ha-
3 Re. 19 v. 8. bentibus quibus nutriamur communionem panis sancti vitæ æternæ, & calicis salutis perpetuæ; quibus itaque contenti in via hac quà peregrinamur, fortiter & hilariter ambulemus vsque ad montem Dei Horeb.

9 Præcipuè autem dilexit eos sicut & nos in ipsis quasi amicus, fidelissimus & charissimus, cum nihil prorsus bonorum reservaret suorum, verum omnia, quæ poterat daret nobis in vno Sacramento suo, corpus, sanguinem animam, personam, totamque deitatem; hæc est enim vsque in finem dilectio, omnium bonorum possibilium, decentiumque, vsque in vltimum bonum inclusivè plena comunicatio, vnde *telos* Græcum, quod fini respondet, apicem culmen, & summum rei personat: quasi diceret; hactemus vere dilexit suos

suos, sed iam abiturus & transiturus ad patrem, amorem perfectissimum eis exhibuit, instituendo Eucharistiam culmen omnium bonorum suorum; insuper hæc in finem dilexio non tam explicat perfectionem divini amoris ex parte doni quam consumationem etiam ipsius amoris in se ipso; hæc autem necessario consistit in inseparabili consortio, in dulci convictu, in reali & intimà vnione amantium, quibus obinde absentia mors quædam existit; cum autem amor Dei sit fortior morte dilexio, vel moriendo, & semetipsum sacrificando in hoc sacrificio novæ legis novà, & mirabili adinventione, adinvenit novum modum realis coexistentiæ, & intimæ nobiscum vnionis, per stupendam transmutationem panis in verum corpus suum nobis, manducabile, & intimè vnibile substantijs nostris sub specie panis.

10 Nam cum esset transiturus ex hoc mundo ad patrem per mortem, ablaturusque esset corpus suum secundum propriam & visibilem speciem ab oculis nostris, triumphans de morte noluit mandare corpus sanctum suum corruptioni, sed in conditione novi testamenti destinavit illud in realem, verum, invisibilem cibum nostrum sub specie visibili panis, vt sic perfectè adimpleret significationem sacrificiorum veteris testamenti quæ post eorum oblationem comedebantur; vt iura vnitissimi servaret amoris manens nobiscum amicis suis in terris simulque regnans in cælis; vt quia alijs moris fuisset magna cum pietate servare corpora charorum suorum in monumentis, nec non aliquandò eadem in cineres convertere pro perpetuà memoria) sic Dominus prætiosum corpus suum sub panis absconderet specie tanquam in monumento, vt meliùs, & frequentiùs moneret mentem in perpetuam sui venerationem, & amorem, cum nihil magis veniat in vsum nostrum quotidianum, quàm panis, quo sustentatur vita amabilis, & quo plures quasi Deo fruuntur in hoc sæculo: igitur Dominus (qui apprimè noverat desideria cordis eorum, nec non studia filiorum hominum omni tempore inclinatorum in cibum

 ven-

ventris, insuper, & quodamodo solvens naturæ tributum noluit corpus suum perpetuò sepeliri in tumulo, neque in cineres converti, sed maluit panem converti in ipsum, vt hac pià inventione sese, nobis offerat, sub illius specie in quem avidè tendit appetitus noster, ibique nos capiat, & nos purà mente capiamus ipsum, transformans nos in se; ecquid magis idoneum! & vt carnes aliorum animalium occisæ vtiles sunt nutrimento hominum; ita corpus Domini vivum, & occisum cedit cibamento Christianorum.

11 Hinc est illa notabilis congeminatio desiderij Dominici in nocte cænæ vehementer exprimens inæstimabile bonum Dei erga nos cum summà benevolentià coniunctū; *Luc. 22 v. 15.* desiderio inquit desideravi manducare hoc Pascha vobiscum, nonne oportebit aliquod maximum bonum esse Pascha istud Domini præter meram figuram, quod ita allicit, attrahit, rapit, desiderium desiderantis totius Diuini, & infiniti amoris? Nihil veriùs: accipite inquit, & comedite, *hoc est enim Corpus meum* quod pro vobis datur: *Manu* quid est *Bern.* hoc Deus meus! Quis nisi amor hoc faciet! O mira vis amoris! triumphat amor de te Deus meus, triumphet quoque de nobis, vt sustineat realem, & præsentialem veritatem Sacratissimi Corporis tui in hoc convivio tam permagnifico, triumphet inquam amor de nobis tanquam prævalens omni sensui vtpote deficienti, dum cor patiens amorem se tibi totum subijcit censens anathemate dignum qui aliter senſiet; crede igitur anima mea quoniam Pascha tuum immolatus in Eucharistià non nisi Christus existit, hoc semper meditare, ac reverere, nec vnquam excidat memoria tanti beneficij menti tuæ, hic namque vmbræ cedunt corpori antiqua observantia novo excluditur Sacramento, & Hos- *Leo ser. Pasſ.* tia panis in hostiam transit carnis in hoc cænaculo; & certè haud absque consilio factum est, quod Dominus instituęret Eucharistiam in nocte cænæ, vt volens, & sciens tunc

ma-

maxime recõmendaret prætium eius quod daret Sacramẽti, nec non arctiùs imprimeret vltimum hoc cordibus Discipulorum à quibus ad paſsionem digreſſurus erat, quia ea quæ vltimò dicuntur, præſertim ab amicis recedentibus, maximæ memoriæ infiguntur, quia tunc vehementius inflammatur affectus amicitiæ, ea vero ad quæ plus afficimur profundius animò retinemus, quia igitur (vt beatus Alexander Papa dicit) nihil in ſacrificijs maius eſſe poteſt quã Corpns, & ſanguis Chriſti, ideo vt in maiori veneratione haberetur Dominus in vltimo diſceſſu ſuo à Diſcipulis hoc Sacramentum Corporis ſui inſtituit immenſæ charitatis ſuæ immenſum beneficium, paſsionis memoriale perenne, figurarum veterum complementum, miraculorum ab ipſo factorum maximum, & demum de ſua contriſtatis abſentia ſingulare ſolamen. *D. Tho. 3. p. q. 73. art. 5.*

§. IV.

Rationes moventes intellectum.

12 HActenus paucula iſta, bonæ voluntati, promptæ indoli, exiſtent confirmationi, arcano inſcrutabili, vt tenero prorrumpat affectu in devotas lacrimas ſeu panes animæ ſanctæ dum quotidie dicitur ipſi, vbi eſt Deus ipſius abſcõditus ſub ſpecie panis; præterquã quod non leviter credat intellectus, in fide obediens altitudini miſterij, vtpote, graviſsimis inixus argumentis, cum teſtimonia, in hac re tua, Domine credibilia facta ſint nimis; eſto mirabiliter vexentur, verum delectabiliter, valde, exercebuntur omnes noſtri ſenſus, circa modum Euchariſticæ præſentiæ; nam re verà hic eſt Panis fortium, Panis vitæ, Panis intellectuum, non vulturis, ſed Aquilarum oculi hanç contemplantur eſcam; verum omnes omnium ſenſus recognoſcant imbecilitatem ſuam, verum beatitudo noſtra hæç eſt, vt cognoſcamus Deum noſtrum Ieſum Chriſtum ſolem iuſti- *Pſal. 92 v. 5. Eccl. 15 v. 3. Iob. 28. v. 7.*

iustitiæ, Sol est, verum obductus, nube panis vt se accommodet captui nostro, igitur violenter, sed libenter intendamus in suppositum è regione lumen, licet sentiamus aciem nostram imparem radiorum eius, desiderio tamen illius pulcherrimi luminis aliqualiter intuendi, libenter inaccessibili, radiantis orbis reluctemur corusco: quid quod omnes sensus, solo auditu excepto, quasi evidenter putent, manus palpando, nares olfaciendo, palata gustando, oculi videndo, nihil aliud quam Panem communem sibi obijci manducandum! Tamen fides ex auditu firmans intellectum validissimis contendit argumentis & testimonijs esse panem cælestem carnem vivificam Salvatoris.

13 Siquidem hæc veritas constantissime deffinità est in vndecim Concilijs generalibus, 1. quidem in con. Alex, & approbatur in Con. Ephes. 2. in 7. Synodo act. 6. 3. in Conc. Versel. 4. in Conc. Turo. 5. in Conc. Rhem. 6. in Conc. Rom. 7. in Conc. Constan. 8. in Conc. Lat. 9. in Conc. Vien. 10. in Conc. Flor. 11. valdè copiosè & distinctè in Conc. Trid. Sess. 13. tandem multa alia Concilia Provincialia necnon Pontificnm decreta quæ referuntur de consec. dist. 2. & in Decret. toto tit. de cus. Euch. & tit. de celebr. Miss. idem contestantur: hanc item veritatem vtpote Catholicam semper firmiter tenuit Sancta & Apostolica Ecclesia à tempore Christi vsque in hodiernum diem, eamque docuerunt omnes SS. PP. tam Græci quam Latini per omnes mundi ætates vsque ad centuriam vndecimam, in qua condemnatur ille Berengarius Canonicus Andegavensis qui hāc veritatem inficiari conabatur, cuius posteram recantationem legimus de consec. 2. demum Jodoc. col. 12. Thes. cat. contro. fid. lib. 6. ar. 1. eandem deducit vsque ad nostra tempora incipiendo à liturgijs Iacobi Apost. mar. mat. & discurrendo per liturgias omnium gentium per PP Græcos deinde per Latinos; præterea per quam plures Scholasticos; ac vltimo quidem idem corroborat innumeris penè miraculis quæ in illius confirmationem ab Ascensione ad annum 1591. contigerunt.

14 Hæc omnia apud nostrates videre licet cupientibus veritatem & suam æternam salutem, ne autem actum agamus, omittimus horum omnium Conc. PP. A A. de hac re testimonia & miracula; sed properamus ad verba quædam Sacræ Scripturæ & institutionis huius Sacramenti, quæ pro nobis clarissima existunt, & necessario adversarijs concedenda in rigore literæ secundum regulam Aug. omnibus tenendam lib. 3. de Doct. Christ. cap. 7. sic dicentis, semper Sacra Scriptura in proprio verborum sensu est intelligenda nisi evidens necessitas vrgeat, aut Ecclesiæ authoritas; tantum autem ab est Ecclesia à coactione recessus à genuino literali sensu, in puncto hoc quod controvertimus, quantum vera necessitas obligat adhærere rigori verborum præsentis maximè veritatis adstruentium: nam verba dubia nullo modo interponenda sint in condendis testamentis, sed illa ex quibus clarè patet voluntas testatoris, ita videmus Exod. 24. vbi testamentum vetus fuit institutum & omnia proprijssimis, & apertissimis verbis explicantur, cum ergo verbis consecrationis simul instituatur à Deo novum testamentum, (vt patet ex Mat. 26. *Hic est calix sanguinis mei novi testamenti*, Luc. 22. *Hic est calix novum testamentum in meo sanguine*, quæ etiam verba habet Pau. 1. cor. 11.) non figuratis aut ambiguis verbis sed proprijs & in sua germana significatione fuit instituendum; & ideo etiam leges humanæ iubent verba in testamento esse intelligenda, in proprio sensu, nisi aliud expressè ex mente testatoris colligatur, leg. non aliter 67. ff. de leg. 3. & hoc argumentandi modo vsus est Paul. ad Galat. 3. *Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo*: Vbi ex eo quod testamentum hominis ita sit ratum vt nemo audeat aliquid addere vel mutare, colligit verba divinarum promissionum quæ dicta fuerunt Abrahæ intelligenda esse in proprio sensu in quo proferuntur; cum ergo Divina, de Eucharistiam, promissio, seu de novo Testamento; explicatur his verbis Ioan. 6. panis quem ego dedero caro mea est pro mundi vità & nisi manducaveritis *Aug.*

car-

carnem filii hominis & biberitis eius sanguinem cuius et iã promissionis ad impletio non minus clarè dicitur Mat. 26. Luc. 22 scilicet accipite & manducate hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur , manifestà credibilitate convincitur esse verum corpus & verum Sanguinem Christi novum & æternum Testamentum ab eodem nobis traditum partem hæreditatis nostræ in hoc sæculo.

15 Dicetur Dominum explicuisse verba illa quæ dura videbantur, ait enim *verba mea spiritus, & vita sunt*, videtur igitur ipsum loqui de spirituali manducatione seu de fide corporis Christi in cælo commorantis, sed & verbis consecrationis constat eundem subiunxisse , glossam suam dicendo: *Hoc facite in meam commemorationem* quæ videtur innuere tò corpus sumi debere pro mera figura veri corporis in superis in habitantis: fateor sanè aliquid, huic responsioni, veritatis inesse, veruntamen commixtam veritati impiam fallaciam abominamur , scriptum est enim quoniam qui *sophisticè agit odibilis est*: Esto igitur certum nos manducare spirituali fidei manducatione veritatem corporis Christi supra Cælos existentis in suà proprià & visibili specie, cum etiam hoc idemque verum corpus corporaliter sumamus hic in terris sub aliena specie panis in quà exhibetur nobis non vt in macello mortuum & dilaceratum , sed vivum & integrum , non iterum visibiliter & localiter expansum , sed ad modum spiritus, & substantiæ incorporeæ ocultum, invisibile, continens se totum, vnitum, intensum, inextensumque intra se, neque loco circum scriptum, neque certis speciebus difinitum , verum loco realiter præsens, & verè continens species , & existens in illis ; non putes anima mea me ipsi contradicere , equidem novi quod per omnipotentiam Dei corpus naturale, & corruptibile resurget spirituale , & incorruptibile , credo quod demonstrari potest visibile , & occultari vt invisibile ad nutum gloriosæ regentis animæ ; id quod longe meliori modo æxistimo convenire corpori Christi , in quo pleni-

Io. 6. v. 64.

Ecl. 37.

1. Cor. 15 v. 52

nitu-

nitudo divinitatis corporaliter in habitat, quod, dum adhuc *Col. 2. v. 9.*
mortale esset, divina sapientia cunctis mobilibus mobilior
& subtilior agilitabat, subtilizabat & non vnquam invisibile *Sap. 7. v 22.*
reddebat hostibus suis, modo autē non moritur neque mors
illi dominatur vltra sed super induit immortalitatem, cæte- *Rom. 6. v. 9.*
rasque gloriosi corporis dotes, ita vt verum illud corpus sit
quasi spiritus, in quantum gaudet modo existendi spirituali
sicut & Angeli in Cœlo; igitur sic spiritualizatum verè da- *Mar 12 v. 25.*
tur nobis manducandum, & traijciendum in ventrem,
cum mentem in simul spirituali fidei manducatione cônnutriat & corroboret, & ne fallantur insipientes, dum terrena cogitantes, non valent intelligere, quomodo manducetur ab omnibus corpus integrum & vivum, quo modo coexistat in Cælo simul & in solo, quomodo tanta moles corporis substet minimæ cuique particulæ: sed isti non didicerunt quemadmodum supremus artifex sciat coniungere fiues secundorum *Dion.* principijs primorum, vt supremum infimi attingat infimum supremi, vt verum corpus communicet in modo existendi cum puro spiritu, vt substantia corporea gaudeat modo spirituali substantiæ in corporeæ & hic est legitimus sensus verborum Domini Ioan. 6. intellexerant siquidem discipuli dominum planè locutum de reali manducatione veræ carnis suæ, sed non benè intelligentes modum ipsius, dicebant, durus est hic sermo, intellexerant enim Christi carnem modo carnali manducandum, ac per hoc morte intercedente, siquidem non vescimur carnibus nisi mortui, salvator autem noster paucis verbis vtrumque errorem abstulit dicendo: *Spiritus & vita sunt*, vita contra mortem, nam viva caro eius nobis datur, spiritus contra carnalem modum secundum quem putabant ipsi carnem Domini in propria specie extensam dilacerari debere cum tamen sub aliena, sed familiari nobis specie panis, nè sumentibus horror ingeratur, verè ad nos deferatur, vt detur locus fidei & merito, credentium dum non videtur sed absconditur sub alterà facie.

16

Mat.22 16 Sed quantum attinet ad illa verba hoc facite in meam commemorationem, iterum atque iterum respondeo quoniam Eucharistia est vera commemoratio Domini, equidem Sacramentum est, signum est, & figura est instituta in memoriam eius, verum tamen non Sacramentum tantummodo (quod impij sophistæ male inferunt) sed est Sacramentum simul cōtinens ipsam rem commemoratam, est signum non exclusivum sed comprehensivum signati latentis intra ipsum, est figura quasi larvati, cooperiens sub se illum speciosum forma præ filijs hominum; itaque nos sumus verè Catholici siquidem Sanctitisimè colimus integrum testamentum Domini in rigore verborum, observantes ea, vti dicitur vsque ad pedem literæ, Dominus autem contestatur hoc est corpus meum, hoc facite in memoriam mei, & nos totum suscipimus credentes esse corpus simul & commemorationem Domini, scientes maledictione Dei fore multandos eos, qui auferunt vel addunt veritati Sacræ Scripturæ testamenti eius; pertinaces autem addunt commemorationem illam esse solam memoriam, cum ly *solam* nequaquam apponatur verbis institutionis, simpliciter namque dicitur, hoc facite in meam commemorationem quod nos credimus, negautes tamen esse commemorationem solam aut meram figuram, siquidem est figura, & figuratum quatenus continet verum Corpus Christi ibidem realiter coexistentis nondum tamen nobis apparentis.

Psal.44 v.3.

Apoc. 22. v. 19.

§. V.

Elevatio devotæ animæ despicientis fallaces obiectiones.

D. Tho. in offic.

17 O Quam suavis est providentia tua Deus meus, quam ordinata dispositio sapientiæ tuæ, quam dulcis spiritus tuus super mel, & favum; qui pane suavisimo de Cælo prestito esurientes filios tuos reples bonis!

nis! PP. nostri manducaverunt vacuas figuras, (sicuti faciunt multi similiter Judaizantes) comederunt manna, & mortui sunt, & solæ egenæ futurorum vmbræ contigerunt in partem sortis ipsorum, sed in lege gratiæ Dominus implevit nobis figuras suas, includens in signis visibilibus, veritatem absconditam, ipsi quasi de longe propicientes, non nisi salutabant, quæ veri adoratores habemus in re, videntes etiam aliqualiter tanquam per speculum in ænigmate pro hoc statu gratiæ, donec plenè videamus facie ad faciem in statu gloriæ (ò Deus meus quando veniam & apparebo ante faciem tuam, tunc evidenter dicam quoniam verè fuerunt panes, sed verè non sunt panes, sed figuræ plenæ medullis humanitatis, & deitatis, dum nobis quotidiè dicitur vbi est Deus noster in Sacramento Altaris:) Ecce hic admirabilem ordinem Divinum; omnia in solis figuris contingebant illis antiquis, sed nobis veritas sacris cælata velaminibus datur, & gustatur & tandem satiabimur cum apparuerit gloria eius: O quanta sit religionis nostræ perfectio, cui datum est id re ipsa habere quod signis tempore legis mosaicæ obumbratum fuerat & quo beati perfruuntur in patria, hoc nos gaudemus in via vnde Dion. Ait Ecclesiam nostram mediam existere inter Synagogam & cælestem Ierusalem, & propterea vtriusque tenere participationem; tria namque sibi Deus tabernacula fecit Synagogam quæ vmbram habuit sine veritate, Ecclesiam quæ vmbram habet simul cum veritate, cælum vbi nullæ sunt vmbræ sed nuda veriras; igitur nobis cum cælicolis convenit vt Chsistum Deum, vtrique, & hominem præsentem habeamus, vno tantum gradu ab eis distamus, nam illi præsentem beatà visione perfruuntur nos præsentem se occultantem firmà & constanti fide veneramur, pignus hæreditatis nostræ, futuræ iucunditatis amabile præludium, arrham sponsæ, Ecclesiæ Militantis cum Triumphante suave glutinum, dum eam dulcedinem qua illa fruitur sine velamento, ista habet sub Sacramento, & si illa habet Deum

Io. 6. v. 50.
Mat. 5. v. 17.
1. Cor. 13 v. 12
Ps. 41. v. 3.
1. Cor. 10. 6.
Ps. 16. v. 15.

suum

suum iucundius, ista in terris militans habet eum mirabilius.

18 Forsitam autem dicetur Sacramenta novæ legis esse longe excellentiora veteribus quoniam hæc nostra causant efficientia phisica gratiam quam illa alia tantummodo moraliter inducebant; sed hoc non vrget coarctare magnificentiam liberalitatis divinæ dignantis largiri gratiam pro gratia imo ipsum fontem gratiæ; tametsi non phisicè, expressius tamen aliquæ antiquæ figuræ significabant misteria fidei vt patet in agno Paschali & in manna præbente omnia omnium delectamenta saporum, vt igitur manifesta appareat excellentia nostrorum Sacramētorum, oportet Divinissimum Eucharistiæ arcanum quam Christus præfert manna Ioa. 6. continere realiter ipsum authorem gratiæ, quia est finis omnium Sacramentorum consistens non in vsu rei transitoriæ v.g. ablutionis sacræ sed in substantia rei permanentis per modum cibi, & potus nobis datæ & vnitæ substantijs nostris vt in nobis maneat & nos ipso, sicuti scriptum est qui manducat meam carnem & bibis meum Sanguinem in
Ioan. 6. me manet & ego in eo itaque huius Sacramenti gratia vita-
v. 57. lis est & cibativa, & transfunditur in nos vt continuò reficiat naturam corruptibilem vnde cum gratia aliorum Sacramentorum, quæ solo vsu transeunt; exigant assistentiam principalis agentis nonnè gratia cibativa, requiret intimam vnionem totius fontis gratiæ scilicet Deitatis & humanitatis tanquam instrumenti gratiæ coniuncti.

29 Sed alia magis vrgent nam si hoc Sacramentum est figura corporis Christi vt loquitur Tertul. quomodo poterit esse ipsum verum corpus eius, cum nihil valeat esse figura aut signum sui ipsius: Ad hoc dicitur quod accidentia panis qui fuit, sunt figuræ contentivè non exclusivæ ipsius corporis Christi, nam sicut antea naturaliter significabant panem modò supernaturaliter significant Corpus Christi sucedens pani, vnde hoc Sacramentum est quædam Divina figura metonimiæ similis, quatenus constat

tat ex ſpeciebus continentibus, & corpore Chriſti contento, neque oportet omnem figuram excludere ſuum figuratum vt patet in naturali figura quæ exterius afficit & continet ſubſtantiam quam figurat, ſic per colorem, & figuram, pomi, ſubſtantiam ſublantem deprehendimus; neque ex pluralitate, aut etiam diverſitate figurarum poſſumus evincere multas, aut diſtinctas ſubſtantias; id quod totum illuſtrari poterit nobili exemplo einſdem Corporis Chriſti transfigurati in monte Thabor; vbi idem Dominus volens gloriam animæ redundare in proprium corpus, aliam tranſmutatur in figuram, præter nativam illam, quæ illi nobis communis erat, equidem vere transfiguratus eſt, amicto corpore lumine, ſicut veſtimento; & tamen erat idem numero corpus reale Domini non excluſum, ſed contentum tam ſub glorioſa quam ſub naturali apparitione; ſic in noſtro caſu præſenti, idē ipſum eſt corpus reale Domini quod celat propriam, & viſibilem ſpeciem, & quaſi in alienam transfiguratum ſpeciem panis, reddit ſe nobis abſque timore tractabile imo commeſtibile, quia hic abſcondit fortitudinem ſuam, lucem ſuam, & veritatem ſuam; tonitruum namque magnitudinis eius quis ſine horrore intuebitur? Formam ergo panis accipiens quaſi accidentalem, miniſtratur nobis ſine timore, panis noſter cæleſtis, & ſuper ſubſtantialis omnibus diebus noſtris.

Mat. 17 *v.* 2.

Pſ. 103. *v.* 2.

Pſ.

Iob 26. *v.* 14.

Cant.

Zac.

20 Sed nervoſius vrgetur quia non ſolum illæ quas videmus ſpecies, verumetiam ipſum corpus prout in Sacramento, eſt ſignum veri corporis extra Sacramentum; ad quod conantur aliqui reſpondere, quod diverſus modus apparitionis eiuſdem rei ſufficiat, vt ipſa ſecundum vnam ſpeciem, ſit ſignum; & ſecundum alteram ſit etiam ſignatum, ſicut eadem eſſentia in ſpecie intelligibili eſt ſignum formale, quæ in re eſt ipſum ſignatum, & pariformiter ratiocinantur de eodem Chriſti corpore in Sacramento, & extra: ſed hæc reſponſio mihi ſemper ſuſpecta fuit tamquā parum ſolida, & minus cohærens principijs, quibus à pue-

ritia imbuimur dictantibus , signum debere repræsentare *aliud* à se, quod diversitatem in essentià, & substantià importat, vt communiter explicant nostrates, tametsi diversus modus rei faciat ipsam modaliter distinctam , non tamen facit eam esse aliud à se, ergo neque signum sui ipsius, vel si ille modus Sacramentalis facit corpus in Sacramento esse *aliud* à corpore extra Sacramentum , non erit vtrobique idem corpus reale, sed *aliud*, & *aliud*; v.g. corpus mere figurativum in Sacramento, & verum corpus Domini extra, vt inimici fidei pertinaciter tenent ex illo textu *Hoc facite in meam commemorationem.*

Acuta, & vera responsio auth. simul convincẽs hoc Sacramẽtum esse signum, & sacrificium.

21 Vera itaque responsio erit vt corpus Sacramentale sumatur in vi solius partis phisicæ incruenter sacrificatæ respectu totius corporis Domini constantis simul ex corpore animà persona, & deitate verbi seu completi compositi, nam licet corpus Sacramentale includat per concomitantiam omnia hæc tamen ex vi verborum non est in Sacramento nisi corpus pro nobis datum in sacrificium, quod ex eo patet, si in triduo mortis consecraretur, non esset in Sacramẽto nisi corpus exanime; constat autem quoniam pars phisica distinguatur substantialiter à toto phisico tanquam aliud ab ipso existens, & sic corpus Domini sic sumptum ex vi verborum erit aliud à toto corpore, anima, & persona etiam simul sumptis , nam sicut exungue (parte phisicà) leonem, & ex vna cicatrice lateris totum corpus, & Dominus meus, & Deus meus significantur, sic leo victor de tribu Juda secundum omnes suas partes iunctas repræsentatur nobis per Sacramentum corporis sui; tametsi præsbiter non ponat ibi nisi corpus ex vi verborum, per hoc tamen reliqua concomitantia ibidemque præsentia notificantur nobis, & sicut Thomàs novit præsentiam totius Domini per vnam cicatricem, sic nos exclamãtes adoramus totam præsentiam eius quamvis non audiamus ex fide nisi vocem Sacerdoris proferentis suoer hostiam: *Hoc est Corpus meum*; vnde colligimus vbi est Deus noster, cuius propterea me-

Jo. 20. v. 28

mo-

moriam facimus reverentialem ibidem latentis, ficut & ipſe iubet dicens, hoc facite in meam commemorationem: O ſubtilis, ſolida, & triumphans veritas, quæ penetras vſque ad diviſionem corporis, animæ ſpiritus, compagum, artuumque, ſiccine, ſubſiſtis in ſoliditate tuà, & quo fortius oppeteris, eo gloriofius ſuperas! pulchre ſalvas rerum diffinitiones clarè oſtendis earum diſtinctiones, & alietates in temetipsà necnon cum lucro ſuperſtes ſacrificij facta es figura, & figuratum miſterij ſignum, & ſignatum Sacramenti; quid itaque obeſt quod in tantum ſubtilitatem ſecuti cum veritatem ſubtilitatem ipſam ſimus aſſecuti. Heb. 4. v. 14. 15.

§. V.

De Verbis inſtitutionis.

22 SEd modò præſtat adamuſsim perpendere verba diviniſsima inſtitutionis, ſeu conſecrationis tanquam præcipuum ſcopum meditationis noſtræ, ibi enim credimus Deum noſtrum invenire, dum dicitur nobis, *Hoc eſt corpus meum, vbi eſt Deus*: verum innumerabiles interpretationes ſuper hæc verba *Hoc eſt corpus meum* commentiſunt inſipientes, ſibi nocentes, quas ne recitandas quidem docuimus, in eo conveniunt iſti non propriam, ſed figuratam eſſe locutionem: quam præcipuè in verbo corpus quærunt, ſed non inveniunt, vt ſtatim oſtendam: in fonte Græco expreſsè dicitur *Toytò Eſti tò ſoma moy tò hyper, hymon didomenen*, ideſt *Hoc eſt ipſum corpus meum quod pro vobis datur*, vel ſignificantius *hoc eſt illud ipſum corpus meum pro vobis datum*: ſupradicta conſilia omnia omnes SS. PP. nec non tota Sancta Eccleſia intelligunt hæc verba, vt iacent ſcilicet in ſenſu rigoroſo, literali, & genuino, & meritò quidem, nam vt Cirill. docet lib. 1. in Io. c. 4. li *illud ipſum* quod articulo Græco *Tò* correſpondent, demonſtrant ipſum verum corpus Domini, quia articulus *Tò* facit vt nomen Luc. 22. v. 19.

men *Soma*.ideſt corpus accipiatur in vnà certà determinatà & proprià ſignificatione, prout etiam regulæ Gramatices Græcæ docent; itaque ſicut cum dicimus hic eſt ille Petrus qui accepit claves Regni diſtinguimus eum ab omnibus alijs eiuſdem nominis, ita cum dicimus *Hoc eſt illua corpus meum* (hanc enim habet articulus vim) intelligimus Dominum voluiſſe diſtinguere ſuum verum corpus ab omni alio,& determinatè loqui de illo, id quod etiam clarè patet ex verbis adiunctis ſcilicet *quod pro vobis datur*, ideſt quod pro vobis nunc imolatur in hoc Sacramento, Deo Patri in remiſsionem peccatorum veſtrorum; non poteſt autem dici hpc eſſe meram figuram quod tunc dedit pro illis, ergo ſemetipſum obtulit hoſtiam pacificam Deoque placentem pro ſuorum peccatis, vnde hæc iſtorum gloſſa, quæ dicit *hoc eſt mera figura corporis mei*, quod pro vobis datur, Catholica non eſt nam illud *didomenon*, ideſt datum quod eſt in recto debet coniungi cum alio recto ſubſtantivo quod non poteſt eſſe figura corporis ; ipſum enim verum corpus eſt quod verè datur pro peccatis noſtris, & nulla figura ipſius.

22 Item omnes Euangeliſtæ eodem tenore verborum vtuntur dicentes,hoc eſt corpus meum,quod pro vobis datur,vel ſignificantiùs,hoc eſt corpus meum pro vobis datū ſcilicet vt correſpondeat participio Græco *didomenon* , & non dicunt hoc eſt corpus meum, quod pro vobis dabitur, nullus enim Evangeliſta ſive de corpore ſive de ſanguine loquens futuro, ſed præſenti, vſus eſt tempore,igitur Chriſtus dabat illis aliquid quod de præſenti in vltima cænā offerebatur in expiationem peccatorum eorum, qualis profectò nuda corporis figura non erat , neque adhuc erat ipſum corpus Chriſti vt extra Sacramentum , noncum enim patiebatur in Cruce pro nobis; igitur oportet eſſe verum corpus in Sacramento tunc cænæ pro nobis datum ; ſic namque obſervatur rigor literæ, debità cum reverentià, & veritas miſterij firmà credetur fide: errant autem hi ſemper, aci-

cipientes tempus præſens pro futuro, aut etiam extorquẽtes ſenſum, vt illud, *quod pro vobis datur* æquivaleat huic, v.g. *dari incipit*, quia initium iam paſsionis inſtabat: primũ apparet hæc eſſe commenta& confugia neſcientium quam in partem ſe convertant.

23 Deinde vtrumque commentum vno D. Pauli verbo refutatur: *Toytò Estiiò Soma moy tò hyper, hymon Klomenon*, ideſt hoc eſt corpus meum, quod pro vobis *frangitur*, quod de corpore in Cruce dici non poteſt, quia Sacramentalem locutionem eſſe conſtat, itaque extra Sacramentum frangi non dicitur, ac ne in Cruce quidem, vbi etiam Joa. tanquam miſterium ad notavit latronibus crura confracta fuiſſe Chriſto non fuiſſe, ſicut ſcriptum erat *Os non comminuetis ex eo*: præterea qui hoc ad Crucem referunt, vim & artificium verborum Chriſti non intelligunt; acceperat Chriſtus panem benedixerat, fregerat porrexerat Apoſtolis dicens, *hoc eſt corpus meum* addit, *quod pro vobis datur*: quis non videt his exrremis verbis vim prætium, & fructum eius rei quam porrigebat commendare voluiſſe (& vt comicus ille dixi: *Ornare munus verbis* dabat enim corpus ſuum uon apertum ſed velatum; poterant Apoſtoli æxiſtimare ſe ſolum panem accipere ſoli ventri pro futurum, & ipſum minori quam par erat habere in prætio: Chriſtus affirmat ſe non panem ſed corpus ſuum dare, & corpus ſuum quod pro ipſis tunc oblatum remiſsionem illis peccatorum offerret, igitur non comendat fructum Crucis de quà non agebatur, ſed fructum Sacramenti quod inſtituebatur.

Jo. 19. v. 36.

Ter in Eu.

24 Item hoc ipſum validè confirmatur ex ſubſequẽtibus verbis ſcilicet *hoc facite*, i. e. hoc quod ego benedicendo feci hoc itidẽ & vos facite; ſumamus illa verba in rigore iuxta regulã Aug. Chriſtus in rigore benedixit, & fecit hoc aliquid, nam ſicut ipſe dixit, & facta ſunt omnia per dictionẽ eius, ita tunc per ſuam benedictionem fecit rem aliquam novam, & bonam; quid ni faceret benedictio fæcunda quæ non ſup-

Luc 22. v. 19.

Notabilis obſervat.

po-

ponit, sed primò ponit, & superponit plenas rerum bonitates, sed tunc non fecit illum panem igitur sanctà benedictione suà practicà fecit hoc aliquid de pane scilicet corpus verum suum, inæstimabile bonum nostrū: dices Christum fecisse panem figuram Sacramentalem; sed contra est, nam instituisse merum panem sine aliquà sui mutatione reali in puram figuram non convenit actioni Dei Theandricæ, cum nec ipsa Sacramenta antiqua fiebant absque aliquà substantiali mutatione, vt patet in agno Paschali realiter occiso, ergo nec esse est panem quoque substantialiter converti in agnum Dei incruenrè mactatum pro peccatis mundi in hoc Sacramento.

Obiect.

25 Quod etiam validissimè, & vt aiunt ad hominem vrgetur; aut Dominus iussit discipulis facere *hoc* nempe verum de pane corpus Christi, aut panem meram figuram corporis eius, in primo habemus veritatem intentam, sed in secundo isti condemnabunt se ipsos de idolatrià, & transgressores invenientur primi præcepti decalogi prohibentis, vt ipsi tenent, facere idola, similitudines, figuras, aut adorare huiusmodi, ergo cum Christus præcipiat nobis sic, *hoc facite*, hoc quod nos de mandato eius facimus, erit verum adorandumque corpus eius, & perinde culpà rei existent adversarij non diiudicantes corpus, & sanguinem Christi à meris figuris (quas ipsi dicunt se facere solu modo) secundum ipsos prohibitis: denique vt verbis illis vtamur in toto rigore, v.g. *hoc facite* ly *hoc* significat vnicum individuum numericum, & non aliquod individuum quasi vagum, & simile, sicut aliqui solent dicere quod *hæc herba nascitur in horto meo*; mandat autem Christus non quod faciamus hoc aliquid simile huic, quod ipse fecit, sed hoc ipsum numero individuum ab ipso factum; quod de nullo, nisi de suo verò corpore de virgine nato, & quotidie renascente de pane in manibus Sacerdotum non obstante diversitate locorum, temporum, & ministrorum, verificari potest; hoc igitur facite, & sic esse credite, & de vero corpore, in sæculum vivite.

§. VI.

De sensu verborum consecrationis.

26 DVrus sermo Iudeis carnem manducare Salvatoris, sed durior est huius sermo consecrationis scilicet *hoc est corpus meum*, vtpotè pro quo supponat ly hoc in illa propositione, nam prima facie videtur supponere pro pane vero, nam proculdubio Christus accepit panẽ propriè talem in sanctas, ac venerabiles manus suas, & super illum protulit benedictionem, & de pane pronuntiavit *hoc est corpus meum*; item ly *hoc* est pro nomen demonstrativum rei præsentis quæ nulla præsens erat in manibus Domini pro instanti prolationis præscripti pronominis *hoc*, nisi panis propriè dictus quem perinde ly *hoc* tantummodò demonstrare poterat tanquam suppositum illius propositionis, igitur *corpus meum* prædicatum ipsius nequit esse verũ corpus, sed figuratum tantummodò, supponimus namque hanc Christi propositionem, *hoc est corpus meum* esse verissimam, ex hypotesi verò quod fuisset verum corpus nequiret verificari illa propositio si ly hoc demonstrativè supponit pro vero, & vsuali pane, vt ex argumento constare videtur; procul namque exclusimus phantasiam dicentium Sacramentum hoc fore simul panem verum, & verum corpus Christi: sic Berengarius olim obijciebat, sic hodiè Calvinistæ pertinaciter tenent: sed cum iam supra ostendimus ly corpus meum supponere pro ipso vero corpore Christi, oportet iuxta veram philosophiam tenere quod ly *hoc* supponat pro eodem vero corpore, cum in omni verà propositione affirmativà subiectum, & prædicatum pro eodem supponere debeant, sic igitur ly corpus meum, quod est prædicatum, & forma, trahit ad se ly hoc, quod est subiectum, & materia, vt stet pro eodem corpore.

27 Nec obinde tautalogia aliqua committitur, sed hæc propositio *hoc est corpus meum* est verè formalis quia ly *hoc* sig-

ſignificat quaſi mutè, & per modum totius quod ly *corpus meum* explicitè, & per partes repræſentatur, vnde ſenſus nō eſt, hoc corpus meum eſt corpus meum; ſed hoc ſubſtantivum eſt corpus meum, vel hæc ſubſtantia eſt corpus meum, itaque hæc ſubſtantia non determinat aliquam naturam propriam, vt panem, aut carnem Chriſti, vtramque tamen conſignificationem indifferenter, præ ſe fert, nam hæc ſubſtantia intranſitivè eſt vera caro Dei, tranſitivè autem eſt ſubſtantia panis tranſubſtantiati in ipſam, ſicut hæc ſubſtātia; v.g. galinæ, vel de galinà diſtillata eſt pulmentum; nec requiritur quod hæc ſubſtantia caro Dei realiter exiſtat pro inſtanti quo primò profertur ly *hoc*, ſed ſufficit quodamodò eſſe in fieri, & ſtatim in fine prolationis verborum, *hoc eſt corpus meum*, verè exiſtere, nam propoſitiones practicæ & effectivæ non petunt ad ſui verificationem, niſi vel præſentiam materiæ ex quà, vel etiam inceptionem effectus, iam iam perficiendi, vt interroganti quid eſt hoc quod facis? Bene reſpondebis, eſt domus, & tamen domus nondum eſt niſi in fieri, ad propoſitum igitur dico quod ly *hoc* in illa propoſitione *hoc eſt corpus meum*, connotat quidem realem præſentiam panis vſualis pro illo primo inſtantis, ſed principaliter ſignificat hanc de pane ſubſtantiam nempe verum corpus Domini ſtatim extiturum in vltimo inſtanti prolationis huius pro nominis poſſeſsivi *meum*, vnde hic erit congruus dictæ propoſitionis ſenſus, *hoc*, quod de hoc pane facio, *eſt corpus meum*.

Reſponſio communis pulchrè amplificata.

28 Et rario eſt, quod ly *hoc*, cum ſit pro nomen demonſtrativum, & practicum illius, quod in conceptu comprehenſivo ſupremi artificis Chriſti ideatum eſt, debet repræſentare illud ſecundum omnes ſuas conditiones individuales ex quibus fit & ſubſiſtit, vnde neceſſario connotat panem tanquam materiam convertibilem, ſed in recto ſignificat corpus Domini in quod convertitur, & ſic per vnum pro nomen *hoc* quod eſt ſubiectum illius propoſitionis oſtendimus non ſolum realem præſentiam verumetiam tran-

ſub-

ſubſtantialem, ſicut Eccleſia definit, vbi obiter contemplari licet mirabilem vim & ordinem verborum Chriſti in illa propoſitione *hoc eſt corpus meum*, nam licet tranſubſtantiatio ſit quædam ſupernaturalis mutatio ponens totum effectum ſuum ſubitò in vltimo inſtanti prolationis verborum, tamen præſupponit tempus menſurans totam ſeriem verborum; vnde poteſt habere hæc, cum noſtrà naturali, gratioſa tranſmutatio analogiam quandam; cum autem mutatio naturalis primò ponat primum ſubſtantiæ gradum cæterorum fundamentum, & ſecundo ſuperſtruat ſecundum corporis gradum, & ſic deinceps, &c. ſic verbis Domini tranſubſtantiativis ſuo ordine correſpondet in termino producto ſui reſpectivi gradus, vt pronomini *hoc*, quod ex natura ſuà eſt ſubſtantiæ demonſtrativum, effectivè, correſpondet primus gradus ſubſtantiæ (& ideò, vt puto, inquit D. Thomàs quod ly hoc convenientius ſignificat hanc ſubſtantiam in quo cæteros Theologos, & expoſitores longè ſuperare videtur) ſicut & gradus corporeitatis nomini *corpus meum.*

29 Sed notandum valde eſt Dominum non ſubiunxiſſe cæteros gradus dicendo hoc eſt corpus vivum, meum; quia propter miſterium omiſit gradum viventis determinando immediatè gradum corporis per ly *meum*, vt vel hinc credamus prædicta verba, v.g. *hoc eſt corpus meum*, fore nõ ſolum tranſubſtantiativa, ſed etiam ſacrificativa corporis Chriſti quaſi occiſi, & mactati incruenter, vnde meritò Sancta Mater Eccleſia deffinit ex vi, & ſignificatione verborum realem præſentiam, tranſubſtant. & ſacrificium contra filios alienos qui mentiti ſunt ei, qui dicunt vbi nam ſcripturarum inveniant Catholici iſtam tranſubſtantiationem, ſed vbi nam reperient iſti conſubſtantialitatem Patris, & Filij, & Spiritus Sancti? rem habemus in verbis inſtitutionis quam proprio nomine cum Conc. Lateran. appellamus *Tranſubſtantiationem* tum quia ly *hoc* eſt demonſtrativum vnius ſubſtantiæ converſæ in ſubſtantiam corporis Chriſti, vt *Nota.*

vt vniatur per modum cibi ſubſtantialis ſubſtantiæ naturæ noſtræ rationalis, tum etiam quia non dicitur tranſentiatio, nec tranſcorporatio quæ conſignificant accidentia per ſe illæſa remanentia ſolà ſubſtantià panis tranſmutata in ſubſtantiam Corporis Chriſti , igitur convenientius vocatur tranſubſtantiatio, & ſic ly hoc ſignificat hanc de hoc pane ſubſtantiam.

30 Hactenus nervoſius explicuimus reſponſiones noſtratum argumento Achilli Berengarianæ, cæterum quoniã pertinaces inficiantur, veritatem huius propoſitionis *hoc eſt corpus meum*, niſi ly *hoc* reddat verum panem, vt ſuppoſitũ verbo eſt, conabor in obſequium fidei, & cæcorum illuminationem alias adhibere ſolutiones quæ forte plus ſatisfacient ſtultæ ſapientiæ eorum; ſcriptum namque eſt *reſpondeas ſtulto iuxta ſapientiam ſuam*: igitur ego do iſtis quod ly *hoc* ſecundum regulas Grammaticæ demonſtret verum panem (nam ſecundum conſuetum modum loquendi Gramaticalem cui magnopere confidunt iſti, vt capiant chriſticolos in ſermone videtur ipſis convincere quod pronomen *hoc* nihil aliud repræſentare debeat niſi illum panem quem Chriſtus in manibus oſtendebat) tamen ſciant quod nos vtimur quoque rectà Grammaticà arte, vocantes omnes ancillas ſcientiarum, & artium inferiorum, ad ſupremã fidei Theologicæ arcem, & ſic reſpondendum putamus, iuxta ſapientiam Gramaticalem, quæ ipſos adeò delectat, vt (quamvis ly *hoc* demonſtret verum panem) in illa propoſitione *hoc eſt corpus meum* ly *hoc* rectum, ſeu nominativum ponatur pro ablativo, ſeu obliquo (multoties enim ſecundum figuram Gramatices, caſus ponitur pro caſu, vt *ſermonem quem auditis non eſt meus*, vbi ſermonem ponitur pro ſermo) vt ſit ſenſus ex hoc pane eſt hoc corpus meum. Qui ſenſus Catholicus eſt nam de pane fit & eſt Corpus Domini, vt Ambroſ. ait, & certè ſæpiſsimè vtimur hàc figurà Gramaticà in propoſitionibus ſignificantibus converſiones rerum in invicem, vt memento homo quia pulvis es, vbi

Specialis reſponſio ant. clarè oſtendens, trã ſubſt. ex ipſa ſignificatio ne verbo rum conſecrat.

vbi pulvis ponitur pro de pulvere, & virga Aaron dicitur serpens, & vinum nuptiarum dicitur aqua, iuxta locutiones Gramaticas Sacræ Scripturæ; cur igitur non licebit nobis dicere quod hoc scilicet verus panis sumptus pro de pane dicatur *corpus meum*, & è contra per conversionem simplicem possumus dicere corpus meum est hoc. i.e. de hoc pane.

31 Damus ergo illis quod quærunt nempe quod ly *hoc* supponat pro verò pane in sensu dicto; & cur non convertentur ipsi ad nos in simplicitate cordis secundam hanc claram, & simplicem responsionem Gramaticalem quæ fundatur in rationali, & naturali philosophia, & in authoritate Amb. vt supra dixi, & Cirill. vt statim dicam, nam in illa propositione *hoc est corpus meum*, prædicatum trahit in naturam suam subiectum igitur est verum corpus de pane; & est natura fortior vtpote corpus fortissimum,& nobilissimum Domini quod convertit in substantiam suam,alteram naturam debilem panis desinentis in carnem Dei vnde subsistit Corpus Domini, & Cirill. vti promisi, sic ait cum *de pane* pronuntiauit Dominus hoc est corpus meum noli dubitare sic esse, ergo ly *hoc* æquivalet huic *de pane est hoc corpus meum*; denique hæc solutio clarissime favet transubstantiationi quam Ecclesia definit ex vi & significatione verborum consecrationis,censurans eos qui dicant transubstantiationem non haberi nisi aut traditione, aut sola Ecclesiæ authoritate; deffinit enim Pius 5. transubstant. ex significatione verborum horum *hoc est corpus meum*, & prohibet sub censurà contradicentes. Quomodo autem manifestius significabunt, ista verba hanc transubstantiationem, quam explicando illa secundum tenorem huius solutionis vt scilicet *hoc* sumatur pro *de hoc* panis pro de pane,&c.

32 Sed quoniam in rei veritate ly *hoc* significat etiam hanc de pane substantiam, ita vt ly *de pane* importetur in obliquo,& ly *hæc substantia* in recto, & principaliter ; ac perinde sit principale suppositum,seu subiectum illius propo-

Specialis responsio Aut.

po-

positionis *hoc est corpus meum* conabor ostendere quod ly hoc demonstret hanc scilicet substantiam Corporis Christi realiter præsentem secundum exigentiam durationis alicuius importatæ per ly hoc veritatis ipsius propositionis, & intentionis Christi; supponamus igitur pro certò principalem authorem illius propositionis practicæ esse Christum cui perinde effectus illius principaliter attribuitur, & consequenter veritas eius, quæ penes existentiam eiusdem effectus consideratur, iudicio maximè eiusdem principalis authoris relinquitur, iudicium autem Christi Domini mensuratur æternitate quæ comprehendit in suo vnico nunc semper stante præsentiam phisicam, & realem totius simul temporis mensurantis prolationem huius propositionis *hoc est corpus meum*, & sic instans inceptionis, & instans desitionis illius propositionis sunt simul coexistentiæ non solum obiectivè, verumetiam phisicè beatæ visioni Christi, Dei, hominis; & cum significatum integruum subiecti videlicet *hoc* sit vt dixi *hæc de pane substantia* in quantum dicit hanc substantiam importat principaliter vltimum instans prolationis, & in quantum connotat ly de pane consignificat etiam primum instans prolationis dictæ propositionis & sic ly *hoc* primo, & principaliter respicit vltimum connotando primum, igitur Christus etiam vt homo, cuius intuitus simul fertur super vtrumque instans, sibi præsens, verè, & legitimè potest dicere, & proferre, *hoc*. i. e. *hæc substantia* (quam ego semper video phisicè mihi præsentem pro hoc instanti prolationis terminativæ, & cuius semper video materiam transsubstantiabilem v. g. panem pro instanti prolationis initiativæ) *est verè corpus meum.*

33 Et sic damus suppositum realiter existens pro nomini *hoc* iuxta principale instans ipsius, & intentionem proferentis Christi Domini: evanescat igitur Berengariana imaginatio tanquam decepta vnico, & solo intuitu primi instantis temporis nostri mensurantis illam propositionem, cum debeamus omnes elevare intellectum supra tempus in con-

consideratione Theologicæ veritatis altißimæ, nec non iudicare vltimum temporis nostri tanquam procedentis de potentia in actum seu de non esse ad esse, fore perfectum, nec non principaliter respectum per æternum iudicium, beatæ visionis, Dei hominis, cui subordinatur veritas huius propositionis *hoc est corpus meum*: itaquè quid obstat materiam convertibilem panem à primo instanti vsque ad vltimum exclusivè subsistere quod de conotato solum importatur per ly *hoc* cum transeat in verum corpus Domini pro vltimo instanti inclusivè desinente pane superstite Dominico corpore, cui concinit antiquitas veneranda: *Hactenus iste panis, modo non est talis, sed veræ substantia carnis vi consecrationis vitalis, facientis, quod placet, gratis, de subiectis sibi creatis*: vtinam superba novitas recantet cum Berengario suo sic recantante in Con. Rom. sub Greg. 7. *Ego BERENGARIVS corde credo, & ore confiteor, panem, & vinum quæ ponuntur in altari, per mysterium Sacræ orationis, & verba nostri Redemptoris substantialiter converti, in veram, ac propriam, & vivificam carnem, & sanguinem Iesu Christi Domini nostri, & post consecrationem esse verum Christi Corpus quod natum est ex virgine, & quod pro salute mundi in Cruce pependit.*

§. VII.

Proponuntur impia arg. Heter.

34 DIxi lacrimas meas fuisse mihi panes refectionis, & letitiæ, dum de pane inest mihi sub panis specie, vera caro Solis iusticiæ, sed modò tristis est anima mea tanquam orbata interiori requie cum videam filios *Ps. 126. v. 2.* matris meæ alienos, contra lucem surgere, malentes comedere, panem nostrum vsualem doloris, & tristitiæ, quam divinam illam escam veritatis, & substantiæ, carnis Christi, dum, inhiantes in solam vmbram vanitatis, & fallaciæ, perden-

dentes Sacramentum immensæ gratiæ (in quo plenitudo divinitatis corporaliter inhabitat) per singulos dies incre-
1. Cor. 10. v. 4. duli subsannant *vbi est Deus tuus*? Petra est Deus tuus? Scrip
Io. 15. v. 1. tum namque petra autem erat Christus: vitis est Deus tuus? Nam & ipse dixit ego sum vitis quinimo vitis vera: vbi est Deus tuus panis cum ex eodem generatur vermis? Non-
Ps. 21 v. 7. ne tunc verè vermis est, & non homo neque Deus? Vbi nam erit postquam egeritur? Nonne omne quod intrat in ventrem in secessum vadit? Nonne absurda, nonne fœda,
Mat. 15 v. 11. nonne abominabilia sunt omnia ista? Quibus tamen tu Papista audes, & gaudes infamare Deum verum, Christum Domini Sanctum, & immaculatum? Hoccine vis nobiscum fœdus inire, vt eruas oculos nobis dextros vt nihili faciamus omnes sensus, principales origines omnis cognitiones nos-
1. Reg. 11. v. 2. træ iudicativæ, vt tandem cæci serviamus, credentes quem videmus panem verum, quem manus nostræ contrectave-
1. Io. 5. v. 1. runt, quam nares olfecerunt, quem palata nostra gustaverunt, non esse verum panem, sed Christum, quem fingis sub esse speciebus eius in hoc, & in illo altari, in hac & in illa pixide, in hoc & in illo tabernaculo, quasi in penetralibus inclusum, cum etiam Sacra Scriptura prohibeat nos credere huiusmodi his verbis, *Cum dixerint vobis, ecce hic*
Mat. 24 v. 26. *est Christus, aut ibi est, &c. Ecce in penetralibus est, nolite credere*: Vbi est igitur Deus tuus tu Papista?

35 Hæc sunt quæ carnales evomunt per singulos dies inter idiotas in scandalum, & in laqueum diaboli ad capiendas animas Deus meus permittemus blasphemos istos, sinemus eos talia loqui absque contradictione, relinquemus, insontes quos facilè seducunt in tantà tantæ rei cæcitate? absit; quoniam *adhuc confitebor ei* salutare vultus mei, &
Ps. 41. v. 7. Deus meus: equidem tristis est anima meà de malitià illo-
Ier. 31. v. 15. rum, de cæcitate istorum, nec non Sancta mater Rachel nempe Ecclesia Catholica plorans plorat filios suos, quia
Mat. 2. non sunt filii veri, sed alieni, & inveterati in pertinacia sua: O Angli quondam Angeli in fide Gregorij Magni, imo filij

lij Dei primogeniti in gremio Ecclesiæ! Quid fascinavit Sap. 1.
vos, vt sic abhorreatis à veritate ne sentiatis de Deo vestro v. 1.
in bonitate, & pietate! Doleo super vos Anglos meos in sin-
ceritate cordis mei, sed spero in misericordià Dei mei, quo-
niam adhuc in simul confitebimur ei, salutare vultus mei, &
Deus meus: itaque sensus vestri carnalis *caro non prodest* Io. 6. v. 64.
quicquam intelligentiæ huius misterij, visus, gustus, tactus,
&c. non iudicant nisi de accidentibus sibi notis, sed solo fi-
dei auditu tutò creditur in Christum Deum, & hominem
sub speciebus panis, & vini latentem, vt postea latiùs pro-
sequar solvendo prius quæ superius tacta sunt; equidem
certò certuis esto Sacram Scripturam passim vti figuratis Ose. 12.
locutionibus, quia in manibus prophetarum assimilatus est v. 10.
Dominus Deus noster (imo idem ipse cum aderat aperiens Ps. 77.
os suum loquebatur in parabolis, sed multoties etiam palàm v. 2.
loquebatur, & proverbium nullum dicebat) quinimo cum Jo. 16.
scriptura figuratè loquitur frequenter exprimit se in sensu v. 29.
literali vt patet in eo quod dicit *spirituali consequente eos*
petra, petra autem erat Christus vbi petra figuratè sumitur, 1. Cor.
& distrahitur à prædicato *Christus* vt non stet pro petra 10. v. 4.
proprie dicta, sed pro petra metaphorica prout ibidem
prius explicatur in illis verbis spirituali consequente eos pe-
tra.

36 Oppones cur igitur in hac propositione *ego sum vi-*
tis vera non alienetur subiectum *ego* vt supponat pro verà
vite? Respondeo excipiendo, contra regulam in hoc casu,
nam licet in plurimum tale sit subiectum quale permittitur
à prædicato, tamen subiectum illius propositionis est per-
sona Diuina quæ fortior est omnibus naturis & prædicatis
creatis & sic distrahit vitem ad methaphoram, & sic subie-
ctum in Diuinis est nobilius quam prædicatum in nobis 1. Cor. 1
nam *quod* infirmum est Dei est fortiùs hominibus, vnde v. 25.
Christus dicitur metaphoricè vitis vera propter perfectam
quandam similitudinem verè vitis cum ipso, vti idem ipse Io. 15.
statim explicat sic; sicut palmes non fert fructum sine vite, v. 5.

 sic

ſic vos nihil poteſtis facere ſine me; nec obſtat quod Chriſtus dicatur vitis vera ſicut & panis verus, nam illi termini *vera*, & *verus* non indicant veritatem, aut proprietatem vitis, & panis, ſed perfectionem veræ aſsimilationis inter Chriſtum vitem veram, & panem verum, vnde per figurã attribuitur Chriſto extrinſeca denominatio illarum rerum; & certè idioma noſtrum Anglicanum paſsim abundat hiſce figuris, ſicut dicimus peſsimo viro: *thou art a meer devill* hoc eſt tu es merus diabolus & nihil humanitatis habes: ſed quoniam abijt in proverbium inter illos, quod nuſquam dixit Chriſtus *hoc eſt corpus meum verum* ſicut dixit *ego ſum vitis vera*, quæ tamen longè abeſt vt ſumatur pro vera vitè, ergo multò minus videtur corpus meum debere ſumi pro vero corpore Chriſti, oſtendam quod illa propoſitio, *ego ſum vitis vera*, ſatis verificabilis ſit in bono ſenſu litera-
Nota. li ſupponendo quod locutiones figurativæ, vt metaphoræ, & metonimiæ ſæpè contineant verum literalem ſenſum, ſicut brachium metaphoricè prædicatum de Deo ſecundum litteralem ſenſum principaliter ſignificat poteſtatem Divinam, & ſic vitis vera metaphoricè dicta, vt ſupra explicui, de Chriſto, ſecundum literalem, & principalem ſenſum ſignificat veritatem humanitatis Chriſti, nam cum domus
Iſai.5. v.1. Iſrael per metaphoram dicatur vinea Domini cuius vitis nobiliſsima eſt Chriſtus, perinde eſt dicere de Chriſto *ego ſum vitis vera*, ac dicere ego ſum homo verus de domo Iſrael, quod de fide certum eſt in proprio, & literali ſenſu, ſed difficilius valde eſt miſterium incarnationis quam tranſubſtan. cur igitur credentes illam non credent hanc niſi quod ex propria phantaſia credant quod volunt, & non quod Eccleſia, & PP. proponunt.

37 Præterea ſicut ipſum vinum propriè dictum per metonimiam denominatur vitis vera, & è converſò, ſic Chriſtus per eandem figuram dicitur vitis, & vinum germinans virgines; cæterum alio veriori, & nobiliori modò
Zac.9. eſt vitis vera vti dixi, nam ipſe continetur in ſpecie vini de-

ſinen-

sinentis esse in sanguinem creatoris sui, qui continet in esse, & virtute naturali simul, & supernaturali speciem illam, vini quod fuit, quæ simul est polus corporis, & animæ sanctæ lætificans, & inæbrians totum hominem in esse naturæ, & gratiæ torrente voluptatis divinæ, cur igitur non licebit Deo meo per metonimiam pulcherrimam dicere ego sum vitis vera imo licebit ei dicere ego sum vitis verissima, nam creatura longe meliori, & veriori modo est in suo creatore quam in se ipso, & sic veriori, & meliori modo vinum vitis transubstantiatum est in sanguinem Christi, quam si esset in se ipso, nam sanguis per miraculum sustinens accidentia producit effectus longè nobiliores in homine quàm vinum, quod fuit propter hominem factum, valeret effi-cere: demum quod aiunt nusquam legi *hoc est verum corpus meum*; respondeo imò legi aliquid maius, quod validius & significantius exprimit veritatem Corporis Christi, nempe *toyto esti tosomà moy*, *hoc est illud ipsum corpus meum* solet namque non solum vulgò, verum etiam scolasticè dici (post assertionem alicuius veritatis, vt maiori confirmatione suscipiatur illa veritas) in hoc stat ipsa res, hoc non solū est verum, sed est ipsa veritas, & de Deo dicitur tu idem ipse es, vnde ly *illud ipsum vel idem ipsum* significat non solum veritatem rei, verumetiam omnimodam identitatem rei cum omni certitudine. *Nota.*

38 Non erubescit Deus noster fieri quasi vermis, & quasi non homo, imo opprobrium hominum, & abiectio plebis pro peccatis nostris siquidem ipse vincens in bono malitiam nostram dat escam carnis suæ soli carni nostræ, vt hoc insigni modo congerat carbones ignis amoris super nos, sola verò panis accidentia, & vini concedere possunt in generationem, & alimentum vermium illæsà maiestate carnis Diuinæ sustentantis per miraculum ista accidentia in esse quasi substantivo, & sic pura caro Domini desinit esse sub illis, cum transeunt in vermes in supplementum materiæ, si nulla de novo creatur, vel si aliqua de novo crea- *Ps 21.* *Rom. 12 v. 20.*

creatur tanquam compars phisia indispensabilis, tunc hu-iusmodi accidentia corrumpuntur propter generationem illam: pariformiter philosophantur nostri devoti, & subtiles Catholici cum hoc ipsum Sacramentum sumitur à nobis in cibum, coexistit namque Dominus Iesus speciebus infundens gratiam donec aggenerentur corporibus nostris, vel ipsis corruptis nova quædam materia de novo creata, tanquam indispensabiliter requisita, agglutinetur nobis re-
Cant. 8. v. 14. parationi fugiente dilecto in montes aromatum.

§. VIII.

De vnione Christi Sacramentati naturæ nostræ.

39 EGo qui sapientibus, & insipientibus debitor sum, vellem omnibus omnia fieri iuxta suam vniuscu-iusquè devotionem, & capacitatem, dicam itaquè devotis, & charis in Domino, quod toto tempore aggenerationis quo species nutriunt, non dimittunt, sed arctè tenent Deum suum incarnatum sibi vnitum per modum cibi substantialis immutabilis, sed mutantis charissimos suos in semetipsum, nam sicut cibus noster communis digestione perfectà tanquam aliquid substantiæ nostræ existens vnitur nobis pro aliquo tempore donec natura defectibilis indigeat novà reparatione, sic vt puto, quadam servata proportione conglutinantur corpus, & anima Christi corporibus, & animabus nostris, secundum permanentiam nisi nos deficiamus per voluntariam corruptionem ab illo Divino termino cibativo, & substantivo, & reparativo totius naturæ
Io. 6. nostræ; ipse namquè ait qui manducat meam carnem, &c. in me manet, & ego in ipso, igitur hoc tempore nutritionis, & digestiones specierum, nos manemus in Christo, vt in
Nota. cibo immutabili sustentationis nostræ, nam cum Dominica caro sit verè cibus non sufficit vt species Sacramentales digestæ, aut nova materia, aut gratia Sacramenti ingrediatur

tur intimè in sustinentiam corporalem, & spiritualem nostram, sed requiritur, vt qui vere cibus est ipsa caro Domini verè, & intimè intret ad subsistentiam vtriusque vitæ nostræ animalis, & spiritualis, & hoc miram in nobis excitabit devotionem, & amorem considerantibus ipsum Deum, & hominem ità intimè, & phisicè vniri substantijs nostris cum illà permanentia.

40 Itaque corpus Domini toto tempore nutritionis specierum non desinit esse in nobis per modum Sacramenti, sed remanet in nobis, vt substantiale qui restaurativum naturæ nostræ in vitam æternam; sic ego putem dicta SS. PP. hanc ampliorem excellentiam personare, sic loquitur Chrisost. hom. 3. in Mat. semetipsum nobis cōmiscet, & nō fide tantum verum, & ipsa re nos suum efficit corpus, item Cirill. Alexand. lib. 10. in Ioan. c. 13. dicit Christum communicatione carnis suæ corporaliter in nobis inhabitare, quod hoc exemplo declarat: *Quemadmodum si quis igne liquefactam ceram aliæ ceræ similiter liquefactæ ita miscuerit, vt vnum quid ex vtrisque factum videatur, sic communicatione corporis, & sanguinis Christi, ipse in nobis est, & nos in ipso: non poterat enim corruptibilis hæc natura corporis aliter ad incorruptibilitatem, & vitam traduci nisi naturalis vitæ corpus ei coniungeretur.* Alio exemplo vtitur Nisse. in orat. Catech. c. 37. sic: *Quemadmodum parum fermenti*, teste Apost. 1. Cor. 11. *Totam massam sibi similem reddit, sic corpus illud viuificum in corpus nostrum ingrediens, totum in se trāsfert atque commutat sibi simile, & immortale reddit.*

41 Est igitur corpus Domini fermentum illud comixtum satis tribus farinæ scilicet trinæ vitæ nostræ vegetativæ, sensitivæ, & intellectivæ quæ ipso altæ veluti fermentatur in vitam æternam, & resurrectionem futuram; vnde Roffen. super Iren. lib. 4. cap. 38. ait, qui carnem illam dignè comederunt, si nullà post hàc suà culpà virtutem illam, quam acceperunt, amittant, eorum corpora procul dubio resurgent ad immortalitatem: & ipse Iren. lib. 5. adver-

versus hæreses valdè apposite confert nostra corpora cum grano frumenti, & corpus, & sanguinem Christi cum ea vi genitali quæ est in grano , nam quemadmodum granum frumenti etiamsi mutatum fuerit in putredinem tamen propter illam reconditam vim quam habet resurgit in herbam, & spicam, ita corpora nostra quamvis resoluta fuerint in pulverem, tamen propter carnem, & sanguinem Christi ex quibus nutrita fuerunt, resurgent in gloriam, & incorruptibilitatem: & iterum Cirill. Allex. lib. 4. in Io. c. 2. quemadmodum scintillam multis paleis inserimus, vt semen ignis servemus, sic etiam Dominus noster Jesus Christus per carnem suam vitam in nobis integit, ac veluti quoddam semen immortalitatis inserit quod totam quæ in nobis est corruptionem abolet; vnde Ignatius in Epistolà ad Ephesios Eucharistiam appellat *pharmacon athanasias antidoton apodanein: pharmacum immortalitatis præservativum contra mortem*; propterea ipse Christus Dominus sumpsit hoc Sacramentum tanquam vim, & semen Resurrectionis suæ, & præservativum contra putrefactionem ne corpus Sanctum suum videret corruptionem.

42 Ex his authoritatibus depromo hanc meditationem pro misticis, & pijs animabus simulque respondeo adversarijs quod sicut purior substātia, seu medulla alimenti naturalis manet in alito, dum materia grossior in humores, aut etiā in excremēta convertitur (luce namque clarius est non omne, quod in ventrem vadit, in secessum abire nisi substantiā nutritioni inutilem , sic enim verba Domini intelligi debent) ita purissima substantia Dominicæ carnis integra, & incorrupta remanere videtur in nobis, secedentibus excrementis relictis ex speciebus, si talia ex ijs super habentur; addo tamen materiam excrementorum, & humorum propter contactum gloriosi corporis sicut & terram , & omnem creaturam fore in libertatem asserenda à servitute corruptionis: O caro gloriosa Domini, quæ solis instar emittis radios tuos super omnes creaturas tuas quantumlibet sordidas, purificas ipsas, nec ipsa contaminaris in substantià tua,

Mat. 15

mun-

mundas, & renovas eas in novas creaturas faciens cælum novum, terram novam, & homines novos, vſque ad regenerationem reſurrectionis quando nobili, & incorruptibili maieſtate ſederis in ſede iudicij tui. *Mat. 5.* *Ap. 20.*

43 Ecce anima mea beneficium tranſubſtantiationis renovationem omnis nationis, dico enim tranſub. fore mũdi recreationem in vno Chriſto per quam gaudet novà ſpiritualitate, immaterialitate, independentià ab accidentibus in exiſtendo, impaſsibilitate ab extrinſeco, ſpirituali modo exiſtentiæ ſui in ſe toto, & totius in qualibet parte ſui, quadam immenſitatis participatione, quatenus in pluribus hoſtis, & hominibus ſimul coexiſtit. Siquidem in creatione produxit Deus res in tempore, & loco determinato, cum materialitate, & dependentia ab accidentibus ſuis cum diviſibilitate putredini, & corruptibilitati obnoxia, cum vicifsitudinum, & tranſmutationum obvmbratione, ſed in hac recreatione exaltatur Chriſtus ab omni terreſtreitate, & incipit trahere omnia ad ſemetipſum, egreditur ſicut fulgur in oriente ſuo de pane, reſplendet terra à facie eius, & implet omnia claritate ſua, in prima creatione omnia ex nihilo ſubſiſtunt, & ſequuntur mutationes quoad formas, ſed in hac ſecunda recreatione ex toto pane deſinente totus Chriſtus exiſtit, vnde nova materia, & nova forma in nobis reſultant initia reſurrectionis noſtræ, & incorruptibilitatis totius naturæ. *Jo. 12. v. 32.* *Ezech. 43. v. 2.*

44 Sed quantum attinet ad materiam naturalem, & corruptibilem quæ deſervit generationi vermis, vel aggenerationi noſtræ ex ſpeciebus naturalibus dico, ſi nova materia non creatur, quod ex ſpeciebus corruptis reſultet quædam materia, nam ſicut ex diviſione quantitatis continuæ reſultant nova puncta materialia ſubſtantialia, & ex ſuppoſitione, quod perſonalitas verbi deſineret terminare humanitatem, tunc reſultaret quædam nova ſubſiſtentia, cur non poterit ex ſpeciebus corruptis eodem Chriſto deſinente ſubeſſe, ſubſtitui per ſimilem reſultantiam nova materià *Nota.*

novæ

novæ formæ vermis, & aggenerationis noſtræ: vel dicamus ſubtilibus adverſarijs qui nimium favent phantaſiæ Carteſianæ, quod ipſa quantitas, quæ eſt modus ſubſtantialis materiæ iuxta Carteſium, tranſit in ſubſtantiam, ſeu materiam nam providus creator, qui de nihilo materiam produxit panis, ipſa deſinente, per tranſubſtantiationem, facilius poteſt de modo, & termino illius nempe quantitate ſubſtituere materiam vermis, &c. vel ſi nec hoc modo contingat ſed ipſa quantitas gerat vices materiæ, quaſi munere ſit ſubſtantia, ſuſtinet formam vermis; & ſubſtantiam aliti, vt multi dicunt, & hinc etiam habemus fiduciam credendi miſterium præſens, nam ſicut ille vermis ſic generatus ita benè vivit, & exercet operationes ſuas vitales abſque materià cum materia ſolo munere, ſic nos credimus viuere in æternum abſque congeneratione novæ, & quotidianæ materiæ per ſolam vnionem cum carne viuifica Domini manente in hoc mundo in nobis, & nos in ipſa, quamdiu Deo placet, & devotio noſtra requirit; ipſe namque ait qui manducat meã carnem in me manet, & ego in ipſo, & qui manducat me viuet propter me, & ego reſuſcitabo eum in noviſsimo die.

45 Eſto igitur miſterium certum, ſed nos non ſcimus ſoliciti de modo, tantummodo meditemur talia quæ pietatem redoleant, & amorem excitent, & certè amor plus videt in hac re, vt ipſe Deus, & homo aliquandiu, etiam in hac lacrimarum valle conviva maneat, & convivium nobiſcum vt ſubſtantia nos alens ſine ſui mutatione: itaque dico cum ſapientiſsimis quod quamvis non maneat nobiſcum niſi quamdiu ſpecies manent in ſuo eſſe, quod pro hoc brevi ſpatio tot favores cumulat quot nos vix capere valemus, vnde plures ſancti ſolebant clamare ſufficit Domine hæc exigua capacitas mea non poteſt ſuſtinere torrẽtem volup-
Iob. 14. *v.*6. tatis tuæ, recede paululum à me dilecte mi fugiens in montes, recedit ergo deſinentibus ſpeciebus ſuper implens mẽ-
Cant. 9. *v.*13. ſuram capacitatis noſtræ vt iterum avidius quæramus eum dicentes veni Domine in proxima communione, & noli tardare.

§.IX.

§. IX.

Fides, non evidentia, valet.

45 DIxi plus valere amorem quam intellectum ad cer-
titudinem huius misterij discutiendum, siquidem *Isai.63.*
oculus non vidit, nec auris audivit quæ præparasti *v.2.*
ti Deus diligentibus te, permittuntur sensus iudicare de ac- *1 Cor.2:*
cidentibus rerum tanquam sibi notis obiectis proprijs, sed *v.9.*
non præsumant vsque ad interiora penetrare; vnde intellec-
tus noster tanquam à sensibus originem suæ cognitionis du-
cens magis fide quam evidentia pollet, & potius testimo-
nio infallibili authoris rerum qui eas ad libitum commuta-
re potest obedire debet, quam sensibus duci, aut debili ra-
tione sua, nonne videmus substantias valde oppositas mul-
toties apparere easdem in accidentibus exterioribus? Non-
ne rerum similitudo quæ passim obviat, est mater falsitatis,
vt Aug. ait? Nonne aurum, & auricalchum conveniunt in
sensibus? Aut quod pacto argentum, aurum, gemmæ dig-
noscentur à falsis sensuum beneficio, nisi recurratur ad lidiũ
lapidem, & peritos? Et pro patribus nostris fundatis super
summum angularem lapidem Christum Jesum, non nas-
centur filij principes Ecclesiæ Doctores ad discutiendas ve-
ritates? Super quem lapidem, aut quam petram nisi Petrum, *Mat.16*
& successores eius ædificaverat Deus Ecclesiam suam co- *v.16.*
lumnam, & firmamentum veritatis contra quam portæ in- *1Tim.3*
feri prævalere non poterunt? *v.15.*

47 Sed infinita poterunt adduci exempla sacra, &
prophana quibus clarè ostenditur non omnino confidendũ
sensibus nostris; nonne manna quod Eucharistiam præ-
monstrabat, in se omne delectamentum habebat? Dicemus *Sap.16.*
hunc panem de cælo esse verum panem quia panem sapie- *v.20.*
bat? Nonne certò certius, iudicabimus fore cæli rorem ad
similitudinem pruinæ qui nunc placebat vt panis nunc gus- *Exo.16*
tabat vt substantia carnis provt suum cuiusque palatũ appe- *v.14.*

tebat? Sunt veri milites circumcincti armis suis, qui percussi fuerant ab Angelo debellante superbiam Senacherib?
4 Re. 19 Fuerunt quidem, & postquam percusi apparuerunt milites, sed in re inveniuntut veri cineres, quia per potentiam vnius Angeli concremati sunt in interioribus suis in cineres retinuerunt tamen exteriorem apparentiam armatorum militum; quid dicam de naturalibus mutationibus quæ singulis diebus contingunt, vt cum ex aqua generatur crystallum retinens eandem diaphaneitatem? Nonne experti sumus quod lacus in Hibernia, vnde nascitur famosus Banniæ fluvius, convertat vi suà nativà ligna in ferrum, & saxũ, remanente saltim vnitate figuræ, & quantitatis cum distinctione naturarum adeò distantium? Solent namque barbi tonsores intingere quandam ligni speciem in lacum istum, cuius extrema, & infima pars, quæ tangit limum profundi, in ferrum, media, quæ in aqua imergitur, in lapidem convertuntur, suprema vero, quæ aquæ superexistit, remanet in eadem natura ligni; & virtus Divina non poterit convertere mollem panem in carnem servatis accidentibus eius? Nonne gallina incubans ovo convertit in totam interiorem substantiam vitellinam in carnem vivi pulli, integra manẽte exteriori crusta seu testæ, figura rotunditate, eadem albedine, imo eodem olfactu, & sapore testæ? Tu autem interroga, nescientes, gallinam huic creaturæ incubuisse, quid
Nota. est hoc quod ego habeo, & ostendo vobis? Respondebunt vnanimiter quod est ovum, ego autem dico quod non, sed est pullus vivus, & caro eius in testa ov i cuius nihil omnino remanet nisi crusta, & accidentia eius; quam frango ostendens eis ad sensum, vìvum pullum, vides nunc quoniam non pertineat ad sensus nisi de extrinsecis iudicare accidentibus, reliquum verò præsumptionis erit in interiora penetrare: Quid igitur ex his colligemus exemplis nisi quod visus, gustus, tactus tanquam præsumentes, fallantur in te Domine; & solus auditus tutò credit illis verbis *hoc est corpus meum*: ego quidem video oculit meis quasi testam panis

nis quantitatem eius, cuius etiam figuram circularem, colorem album intueor, gustus, odoratus & tactus meus sentiunt esse qualitates panis, sed non est verè panis, tactus quidem est *Esau*, sed obstat vox *Jacob*, volo dicere quod illi sensus iudicent quantum ad accidentia panis, sed vox Divini Jacob Christi dicit quod non est panis qui videtur talis sed est, inquit ipse, corpus meum & caro naturalis, & qui hoc non credit, expectet parum donec Pau. frangat ei testam seu crustam eius: *nonne panis*, ait hic, *quem frangimus comunicatio corporis, Christi est*, & alibi *hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur.* Gen. 27. 1 cor. 10 v. 16.

49 Igitur fides non est ex visu, sed ex auditu per verbum Dei potentissimum quod mutat naturas rerum ad libitum relictis earum accidentibus in misterium; & in velamen absconditæ veritatis vt videntes, non videant, ne arguantur nimiæ curiositatis, nè, vel audientes verbum intelligant; sed in obedientia fidei credant; igitur Dominus prohibet nos videre qui tamen iubet audire dicens *ipsum audite*, non dixit ipsum videte, nam qui audebit scrutari maiestatem, opprimetur à gloria, & scandalizabitur à visione: attentis verò auribus elevabitur in arcana cælestia; cum Ioannes dicit *Ecce Agnus Dei*, nondum credunt Iudei, sed cum per suos interrogat, vt iuxta præceptum Patris ipsum verbum audiat, credentes revertuntur discipuli quoniam ipse est qui venturus erat, siquidem præstat responsum eius ad suasionem nostram; cæci, inquit, vident, & beati qui nō scandalizantur in me, nimirum qui prius cæci, quasi cæcò fidei credentes meritò, postea vident, & beantur; scandalizantur verò qui volunt prius videre quam credere auditui fidei, vnde Dominus cuidam ait noli esse incredulus; sed fidelis, beati enim qui non viderunt, & crediderunt: credite charissimi, & intelligetis, audite ipsum qui dixit *hoc est corpus meum*, esse veridicum Messiam vtpote ad nos à Patre missum per novam nativitatem, in domo panis renascentē in manibus Sacerdotis sicut in vtero Virginis, nolite videre Mat. 3. v. 14. Isa. 6. v. 9. Prov. 25 v. 27. Io. 1. v. 29. Lu. 7. v. 21. Io. 20. v. 27. Isa. 7. v. 9.

quæ apparent ſpecies in hoc Bethleem fore panes, ſed credite latere ſpecioſum forma præ filijs hominum ſub ſpeciebus, tantummodo valet audire quoniam ipſe dixit hoc eſt corpus meum, & ſic factum eſt, & ſic PP. noſtri audierunt,
Pſ. 33 crediderunt, guſtaverunt, & mox viderunt quam ſuavis ſit
*v.*9. Dominus in hoc Sacramento ſuo.

50 Sed dices quod experientia ſenſuum commendentur etiam in rebus fidei iuxta illud palpate, & videte, & alibi quod vidimus, quod manus noſtræ contrectaverunt de verbo vitæ, hoc annuntiamus vobis; certè qui finxit oculũ non reprobat quemcunque qui conſiderat obiectum alterius cuiuſque ſenſus quod pertinet ad ipſum; imo ſenſus, ratio, & tota natura ſubſerviunt fidei, vt congruè ſaltim manuducant in miſteria eius; inviſibilia enim Dei per ea quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur, ſed quis eſt ſapiens, & intelliget hæc? Et audebit comprehẽdere multa alia maiora ſupra ſenſus hominum exiſtentia? Ait enim Dominus ſi terrena dico vobis, & non creditis, quomodo, ſi cæleſtia dixero vobis credetis? Nec ſenſus, nec ratio, nec intellectus valent, ſed in obſequium fidei oportet captivare potentias noſtras, ſi velimus accedere ad cognitionẽ miſteriorũ eius præſertim huius, quod præ manibus habemus, in quo omnis ſenſus deficit, ſed ad firmandũ cor ſincerum ſola fides ſufficit, & merebitur in tempore ſuo viſionem: tu igitur qui hæc legas, ipſa credas primò, & ſi Dominus magnus voluerit, ſpiritu intelligentiæ replebit te, dabitque tibi apparitiones mirabiles huius arcani quales dederat alijs humilibus, & fidelibus ante te, ſed melius eſt non tentare bonitatem Dei, ſed augere meritum fidei illuſtri exemplo Sancti Ludovici Regi Galliæ qui invitatus à nobilibus, & aulicis, vt videret ſtupendum, pulcherrimum puerum qui apparuit in hoc Sacramento, noluit ire ad ſpectaculum, ſed admirabili fide dixit, qui dubitat de reali præſentia Dei mei Sacramentati, eat in nomine Domini viſum puerum, interim ego firmiter credo ſic eſſe.

Luc. 24. *1. Io.* 1. *v.* 1. *Pſ.* 93. *v.* 9. *Rom.* 1. *v.* 20. *Eccl.* 3. *v.* 25. *Io.* 3. *v.* 12.

§. X

§. X.

51 Solent nobis adversarij passim obijcere locum illum Mat. *Ecce hic est Christus*, ibi est *in penetralibus*, &c. *nolite credere*, quia Christus est in Cælo ibique sedet vsque ad tempus restitutionis omnium cum fulguris instar egredietur ab oriente, & parebit in occidente; sed non poterant isti vllum movere lapidem quæ maiorem sibi ruinam minetur ; igitur illa verba referri possunt ad pseudochristos, qui fine mundi appropinquante , rapinam arbitrantur se fore verum Christum, imitantes eum, nunc secedentes, ex læsa phantasia, in deserta loca, nunc in abditis, & penetralibus se abscondentes, nunc se publicè ostentantes in plateis civitatum , qualiter novissimè accidit Londini, vbi quidam (quantum memini Tayler nomine) in tantam devenit stultitiam, vt palam prædicaret se esse Jesum Christum, cui in principio non defuit patrocinium in Babilone illa, donec tandem cādenti ferro lingua blasphemantis perforata fuit: verum efficacius retorquetur hic locus in Luteranos, & Calvinistas, siquidem illi tenent hanc Scripturæ per versionem, scilicet *hic est corpus meum* , & non *hoc est corpus meum*, vnde isti vbicatores dicunt Christum esse in Sacramento per vbicationem , hi verò asserunt Christum descendere de cælo per subtiles canales vsque ad hostiam, sub ingredientē ipsam, intima penetratione, & hoc est quod reprobat Christus , ibid. si dixerint vobis ecce hic est, (scilicet per vbicationem cum pane) vel in penetralibus est, scilicet penetrando panem, *nolite credere*; sed Catholici nō dicimus, nec propriè dicere possumus quod *hic* (in Sacramento) est Christus, sed dicimus quod *hoc* est ipse Christus sic enim ipse ait *hoc*, non hic, est corpus meum, quoniam tota substantia est corpus Domini quod per modum substantiæ spiritualis à loco materiali independentis non est pro-

Mat. 24

Act. 3.

Nota Valdè propriā authoris observationem super verba Christi apud Mat 24.

propriè in illo, ſicut nec in pixide, nec in penetralibus; nec penetrat panem, nec penetratur cum pane, neque diffinitur, neque allegatur ſpeciebus quibus tamẽ in pixide circumſcriptis intimè ſuper in exiſtit: itaque Sacerdotes noſtri dicunt hoc eſt corpus meum quod eſt ipſe Chriſtus, & non dicunt *hic* eſt corpus meum; & hæc eſt clara & efficax explicatio prædictionis Domini contra adverſarios fidei; quod ex contextu confirmatur, nam Dominus præcavens ne erremus in ſe ipſo ſubiungit rationem cognoſcendi, ſe dicens, vbicumque fuerit corpus ſcilicet meum, ibi congregabuntur aquilæ, & ſicut fulgur, implet luce ſua totum cælum ab oriente, & ſubitò illuminat illud donec paret in occidente, ſic Chriſtus Dominus, & glorioſum corpus eius non circumſcribitur alicui determinato loco, ſed vbicumque fuerit corpus eius tanquam ab omni loco independens ibi eſt verus Chriſtus, & ibi congregantur aquilæ contemplativæ, & animæ ſanctæ fideli perſpicacia intellectus pollentes, quæ norunt quod in corporalia, & ea quoque quæ privilegio ſpiritualium gaudent, non exiſtant loco allegata, ſed liberè ſuperſunt vbicumque placet ad ictum oculi.

52 Et certe convenientiſsime aſsimilat Dominus corpus ſuum fulguri quod eſt ignita quædam corruſcatio, in nubibus illuminans ſubito ab oriente vſque ad occidens, nã ea quà parte dicit ignem, denotat efficaciam Dominici corporis conſumentis, & convertentis ſubſtantiam panis in ſemetipſum illæſis accidentibus quaſi nubibus in quibus apparet ex his enim meteoris legimus, & vidimus mirabilia operantibus in iſtis corporibus ſublunaribus; vt cum totam ſubſtantiam interiorem convertunt in cineres, nulla factà læſione in cute, aut exteriori ſpecie, aliquando etiam conterunt gladium intra vaginam relictam ſanam, & integram, & quemadmodum huiuſmodi coruſcationes ſubitò generentur in quacumque parte mundi indifferenter, ſic corpus Domini fulguris inſtar conſervans accidentia, & conſumẽs panem quaſi momentaneè renaſcitur in manibus Sacerdotum

Propria obſerva. Aut.

tum vbique gentium : quatenus vero lumine fulget indicat spiritualitatem Corporis Christi quod ad modum lucis, sine numero pondere, aut mensurà verè existit vbique in quocunque Altari per orbem, numerus enim resultat ex divisione continui, sed lux indivisibilis existit, tametsi extendat se illuminans ab oriente in occidens ; nunquam potes dividere radios eius; sed si opponas ei corpus opacum, statim lux quasi intendens radios retrahit ad se illuminationē suam, & fac experientiam in candelà quæ simul illuminat totam vnam domum, quam si concludas intra parvam, & opacam lucernam, subitò quasi intendens lucem suam relinquit totam domum obscuram,& tantummodo illuminat interiorem lucernam; sic corpus Domini omni luce corporea spiritualius, est totum in tota vna hostia, quam si dividas in mille partes non dividitur corpus Domini, sed luminis instar veluti intenditur, & totum contrahitur in vnam quamque minimam particulam, & vbicumque ponantur hostiæ sive in cælo sursum, sive in terra deorsum; vel in quacumque zona, aut parte mundi, cum consecrantur, statim adest corpus Domini quasi non habens pondus, seu inclinationem ad aliquam certam mundi plagam, aut terminū statutum ad modum lucis absque pondere, & si totus mundus foret vna Hostia Corpus Domini totum impleret totam ipsam; quasi non habens mensuram ad modum lucis quo simul totum mundum illuminat : sed terreni non capiunt hoc quia sicut oculus noctuæ non potest videre solem sic isti non valent ad claritatem rerum spiritualium, igitur imprimis opportet habere intellectum exercitatum in scientijs naturalibus(& vtinam contingant post multum temporis,& studij) vt cœlestia ad quæ hæc naturalia aliqualiter manuducant, quod amodo capiamus. *Ambro.*

53 Et certe ipse Christus prævidit insignem dificultatem quam nos in hac re pateremur nempe quomodo existens in Cœlo in propria specie vsque ad finem mundi (excipiendo morulas quibus aliquando apparet quibusdam

Sanctis vt Paulo) simul coexisteret nobiscum vsque ad consummationem sæculi in Sacramento alienæ speciei, vnde ait Ioan. 6. hoc vos scandalizat quia dixi carnem meam fore vobis cibum quotidianum , & quid dicetis cum filius hominis ascenderit in cælum ? quasi diceret cælum, & terra transeunt ; verba autem mea non præter ibunt , tametsi ego in cælis ad dexteram patris assideam tamen caro mea erit verè cibus vester hic in terra , quia *spiritus est qui vivificat*: Ecce quomodo vno verbo spiritus solvat dificultatem quia sicut spiritus angelicus potest esse simul in quatuor angulis domus , quin in medio existat , & tota anima nostra est simul in capite & in pede vivificans simul ambas partes & si contingat aliquam partem corporis fore extra naturalem dispositionem anima non informat illam partem, cum reliquas vivas in formet, sic corpus Domini dotibus spiritualibus & gloriosis decoratum potest esse simul in pluribus Hostis consecratis , vivificans corda & corpora nostra, sed mors est malis cum vita est bonis ; igitur simultanea coexistentia Christi in cælo & in tot hostijs & hominibus non scandalizet nos , si quidem ipse dixit spititus est qui viuificat, sed cum imaginatio nostra non valeat corpus, tempus, & locum transcendere ; fit vt intellectus noster, qui pro hoc statn indigeat phantasiâ , & imaginatione, vix queat exurgere ad præscindendum conceptum suum à tempore, & loco , itaque ad subveniendum huic defectui opportet vti prædictis exemplis ad intelligentiam huius misterij admirabilis.

54 Insuper considerandum est qualiter vna facies hominis appareat vna in speculo, quod si frangas in partes, eadem facies per distinctas species videtur in omnibus illis diversis partibus, taliter idem corpus Domini latet sub hostia consecrata tametsi frangatur in plures partes, tameu Dominicum corpus reperitur velatum sub omnibus illis divisis, & distantibus, item experieniia constat quod eadem numero res obiecta visui appareat esse plures res per aliquam dispo-

positionem medij, vel etiam organi, secundum refractiones specierum luminosarum, & si tunc parum congreges visum, videbis quod illæ plures quæ apparent species, conveniant in vnam rem phisicam; & sic poteris tu imaginari de hoc misterio: sed & accipe aliud nobile phantasma punctulæ lucis quasi solaris existentis in pupillà oculi tui, & minimum mole, sed virtute est maius, & lucidius sole, vt patet intuenti speciem eius in speculo, siquidem est miræ extensionis spiritualis, & absque sui divisione recipit in se species multarum rerum simul, nam licet in se, non sit nisi exiguat lux, non superans punctum magnitudine molis, tamen in tantum dilatatur in se in susceptione specierum, vt multis simul commensuretur, nam illo vnico indivisibili splendore suo quasi expandit se super species quas intù cõprehendit, cum respectu ad earum obiecta, quæ vnico intuitu vides, cælum, terram, mare, & omnia quæ in eis sunt, demum quando hæc obiecta auferentur à conspectu eius, quasi se contrahens ad punctum, subitò sistit in scintillà lucis suæ: qui legis intelligas imaginationem Corporis Christi in Sacramento per se subsistentis independenter à tempore, & loco, sed indiferenter se habentis ad omnẽ locum, quasi per se subsistentis totius in se toto in vno indivisibili punctulo viuæ, & gloriosæ lucis suæ.

55 Itaque cum multi Sacerdotes in multis orbis partibus proferunt verba consecrationis super multas, & distantes hostias, tunc illa indivisibilis, & gloriosa de pane lux Dominici corporis expandit, & dilatat se super omnes illas hostias quantumvis distantes, nec non magnitudine virtutis suæ extensa capit eas intra se sustentans species in esse, & convertens panem in suum proprium esse (O Deus meus quid nos miseri corporeæ imaginationi alligati coarctabimus spiritualia (quæ spiritus, & vitæ sunt per se subsisttentes, & omnia continentes ad materiala ista limitata) demum intelligant aquilæ contemplativæ, & exercitatæ in præcissionibus naturarum à suis conditionibus individualibus, quod

quod naturæ prout ſic conceptæ dicantur vniverſales , & vbique exiſtentes vt philoſophus ait in poſt. ac perinde nomina earum ſignificativa ræpræſentant eas ſine tempore, & loco; quod igitur habent huiuſmodi naturæ de ſpiritualitate beneficio noſtri intellectus, & non ex ſe; hoc gaudet corpus Domini per virtutem Divinam ; quia per novam conceptionem divini intellectus practici, in tranſubſtant. renaſcitur ad modum puræ lucis ſpiritualis , & indiviſibilis de pane intra ſpecies vbicunque exiſtentes , ſed cum vnumquodque ſuſcipiatur ad modum ſuſcipientis, corpus Dominicum quod verius continetur in conceptu Dei practico quam in ſpeciebus quas è contra ipſum, corpus potius continet, fit vt quodamodo gaudeat participatione immenſitatis, ſpiritualitatis, & indiviſibilitatis ipſius Divini, & practici conceptus quatenus extenditur ſupra, & intra tot ſpecies, quæ ſi reducantur ad minutiſsimas partes corpus Domini quaſi independens ab omni loco, contrahens ſe, ponit ſe totum ſub omnibus illis ad modum puriſsimæ, & indiviſibilis punctuli glorioſæ lucis, & hæc ſufficiant intellectu pollentibus, & aliqualitet elevatis ſupra corporalia, nam de incorporeis rebus non propriè quæritur vbi nam ſint , ſed quoniã ſunt per ſe ſubſiſtentes; propriùs enim convenit eis ratio loci quam locati, quia continet, conſervant, & portant magnitudine ſua ſpirìtuali corporalia hæc , tametſi nos putemus animam noſtram contineri, & portari à corpore , verius tamen eſt corpus contineri, & portari ab animà ; illo enim corrupto, & mortuo hæc viva ſubſiſtit ; igitur credamus quod *hoc eſt corpus* Chriſti portantis ſpecies verbo virtutis ſuæ, & non ſimus ſoliciti , vbi nam ſit , equidem benè ſtat quod in ſe, & per ſe exiſtat realiter, quin loco indigeat, vt dicatur *hic eſt corpus Chriſti* ; ſufficit credere dictum Chriſti; ſufficit credere dictum Chriſti *hoc eſt corpus meum* , ne fallatur imaginatio coarctans ipſum certo loco.

56 O Deus meus prolixum foret recenſere multiformes apparitiones, & ſpecies, quibus Divina maieſtas tua in ſub-

subsidium, & solamen imaginationis nostræ, & populi tui, dignata es exhibere præsentiam tuam, sanctissimam in hoc Sacramento manifestam, nunc in formà carnis, nec non in specie sanguinis, nunc in decore iuvenis, nec non in specie sanguinis, nunc in decore iuvenis, divinus Prothæus apparuisti, de quibus autenticæ existant historiæ, quas stultum est negare (quæ nam verecundia est scarabæis suscipere eas, quæ non tacent quorundam defectus nostratum, respuere eas, quæ veritatem, & gloriam nostram manifestant) habemus etiam Sacras reliquias pluribus in locis Christianitatis vbi insigne aliquod miraculum huius accidit misterij (vidi in insigni Collegio Sancti Thomæ Abulensi, vbi per aliquot annos studui, Sacrosanctam hostiam olim à Iudeis pugione per foratam modò incorruptam post multas annorũ curricula magna veneratione servari, & exponi omnibus quotieslibet) Deus meus non valeo continere lacrimas, cum videam miserabilem cæcitatem, aut potius inveteratam malitiam compatriotarum Anglorum protestantium, nec non admiror pigritiã eorum maximam de salute suà æternà; cum considerem quam impigri existant ad navigandum ad extremos indos vsque ad orientales, & occidentales plagas, ad Smirnenses, Hierosolimitanos, Romanos, Hispanos, Gallos, &c. nec vident veritatem corporis Sacri panis cælestis, quod ad modum fulguris corruscans ab oriente ad occidens apparet in toto orbe rerrarum: reportant in Angliam aurum, argentum species aromaticas, gemmas, lapides prætiosos cum infamijs, & dicterijs contra Sanctissimũ Sacramentum: O vtinam naves eorum forent factæ naves institorum de longè, vel de propinquò reportantes panem nostrum verum cælestem super substantialem! Prov 31

§. XI.

De Communione sub vna specie.

57 IGitur fuerunt mihi panes causæ lacrimarum piarum cum teneritudine devotionis, cum desierunt panes, & dicitur mihi Deum meum incarnatum existere rea-

realiter sub speciebus eorum; fuerunt quoque panes ipsi lacrimæ meæ, dum sub vna specie panis exhibetur mihi prætiosus eius sanguis, vera lacrima Christi, seu vinum Ecclesiæ defæcatum Romanæ, siquidem sanguinem in corpore summo sub vnica specie Sacramenti, manduco carnem vivam sugendoque bibo sanguinem Dei mei. O bone Pastor qui pascis oves tuas proprio vivoque cruore tuo! Quoniam
Cant. 1. *v.* 13. botrus uvæ cipri dilectus meus mihi cum manducās uvam sugendo bibo sanguinem quasi succum vini ; volo dicere quod in vno botro carne Christi participio cibum, & potum simul Dominici corporis, & sanguinis, vt vitam habeā in me ipsum manentem, iuxta illud , nisi manducaveritis
Io. 6. carnem filij hominis , & biberitis sanguinem eius non habebitis vitam in vobis , nam sicut quæ in inferioribus sunt dispersa , in superioribus reperiuntur vnita , & quodam artificio soleant aliqui, tales conficere cibos , quæ simul nutriant, & sitim extingant, sic vnum , & idem corpus Domini sub vna specie sumptum, est cibus pariter , & potus in refectionem, & refrigerium animarum ; vnde illa verba bene intelliguntur, vt manducemus carnem , & sanguinem copulatim respectu vnius specie, taliter quod sub specie panis ambæ substantiæ simul capiantur ; equidem qui vtramque sic accipit, verè dicitur manducare carnem, & bibere sanguinem Domini, nec requiritur seorsim sumere sub hac, & modò sub altera specie; nec nos debemus addere scripturæ nisi vt sonat , quæ tantummodo dicit nisi manducaveritis carnem,&c. vbi non dicit nisi manducaveritis eius carnem separatim sub specie panis, & rursus biberitis eius sanguinem divisivè sub altera specie vini; sed potius per li & vtriusque sumptionem copulat , ait enim nisi *manducaveritis,& biberitis*, quod constat faciliori modo posse fieri, & præcepto satisfieri sub vna sola specie , quia viva caro verè manducata non potest non ferre secum sanguinem suum vivum; propterea sæpius in scriptura fit mētio communicationes panis nulla facta expresione speciei
vini

vini, dicitur enim quoniam perseverantes erant in fractio- Act.2. v.46.
ne panis, commodius enim omnes fideles possunt sumere Io.6.
speciem panis quam vini vnde ait script. *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*; vbi sub intelligitnr in manducatione panis potatio quoque sanguinis, sub illa vnica specie.

58 Hæc fuit praxis, quæ est optima legum interpres, Ecclesiæ primitivæ, Apostolis vicinæ, vt patet ex Tertul. l.2.ad vx.c.5. Clem. Alex. li. 1 Stro. Cyp. s. de lap. Bas. ep. ad C.5222. Baro ad an. 57. n. 47. & ipsi Sacerdotes nostri in die Parasceves hoc Sacramento sub vna tantum specie sumunt panis, cuius rationis congruentiam assignat D. Tho. 3.p.q 83.art.2.ad 2. quoniam illà die fit expressa commemoratio passionis Domini, vnde egregiè Hug. vic. *Hodie nō sacrificamus, dum nobis hostia de manibus tollitur, non sacrificant amici, dum trucidant inimici*: ex quibus habetur vnam, vel alteram speciem suffecisse secundum necessitatem, vel etiam Ecclesiæ dispositionem, & dispensationem, vt affirmat Trident. sess. 2112. dicens ex Paul. 1. Cor. 4. sic nos existimer homo, vt ministros Christi, & dispensatores misteriorum eius; sic antiquitùs solus sanguis dabatur infantibus; cum viatoribus daretur sola caro; sic Serapion, vt refert Euseb. 16.c.36. misit partieulam Eucharistiæ *Sarcha tes Eucharistias*, cuidam moribundo præcipiens puero suo, vt particulam illam madefaceret, ne forte moribundus ipsam deglutire non posset, & quid dicemus de abstemijs qui permittuntur vel ab ipsis hetero doxis comunicare sub vnà panis specie: nonne ipse Dominus Iesus præbuit hoc Sacramentum sub vnà specie discipulis in Emaus vt mult. SS. PP. Luc. 24 v.3.
tenent: cur igitur esti scarabæi, qui stercore tantum se alunt; credunt de historis nostris veridicis, si quos legunt personales defectus nostratum vt thurificarionem marcelli, quæ verecundia est (vt ita dicam cum S. Margarita) ipsis, respuere tot miracula & oracula huius misterij, & comunionis vnius speciei?

Deus

59 Deus meus non est animo amplius disputandum, sed melius pro istis rogandum, vt propter corpus tuum venerandum, convertas eos ad credendum; imitte Deus meus canes tuos fideles inter canes istos gulosos, qni pro vmbra panis vt putant maiori dimmitunt substantiam carnis Domini; reconcilia Deus meus Phariseos istos, quoniam spiritu vertiginis, & mendacij divisæ sunt omnes tribus eorum: O Anglia quæ olim fueras Ecclesia Angelica testimonio magni Gregorij, cui tanquam supremo capiti totius Ecclesiæ Catholicæ, fidele obsequium præstiteras, cur modò quasi fronte meretricia non erubescis agnoscere falibilitatem
1. *Reg* tuam respuendo infalibilitatem columnæ veritatis toties à
16. SS. PP. decantatam? Nisi quia spiritus malus, phantasticus privatus tuus arripuerit te in reprobum sensum! Nonne
Act. 15. Spiritus Sanctus palam loquitur per os Petri capitis visibi-
v. 7. lis Ecclesiæ vt videre licet act. 15. etsi indulgeat inspirare privatim alicui sancto tamen fidelis est & concordans, imo & expectans & comendans sanctæ Ecclesiæ, & capitis eius authotitatem; vides Ioannem Baptistam Spiritu Sancto pri-
Mat. 3.
v. 17. vatim instructum, nec non vivà voce Patris, confirmatum de veritate messiæ; dicentis: *Hic est Filius meus*, & tamen
Heb. 8. nondum habetur vltima fidei resolutio de hac veritate, do-
v. 1. nec fiat recursus ad ipsum Pontificem qui penetravit cælos
Mat. 3. Iesum, primam in dicendo veritatem, quem perinde iubet
Rom. 8. pater audire, quem postulat spiritus pro sanctis, gemitibus, absque verbo Patris inenarrabilibus quem demum Ioannes
Mat. 3. interrogat *tu es qui venturus es*? Vt proprio ore testimoniū de se perhiberet: sic volunt, sic iubent Pater, & Spiritus Sā-
Mat. 11 ctus, *ipsum audite*, igitur Ioannes sanctus, & doctus à Patre
v. 3. & Spiritu Sancto, iuxta hoc præceptum scilicet *ipsum* au-
Vltima dite mittit ad Christum pro suprema fidei resolutione, vt
fidei re- ad visibile caput Ecclesiæ dicens, *tu es qui venturus es*? Et
soluo in Chtistus respondet *cæci vident* quasi diceret quod cæcitas
Pont. in fide nunquam tolli potest quantumlibet aliquis præten-
Rom. dat se habere Spiritum Sanctum aut Æterni Patris oracu-

lum,

ſum, aut ſanctitatem vitæ, & morum, aut ſcientiam Scrip-
turarum, aut acumen intellectus, aut Angelum de Cælo in-
ſtruentem, niſi deferatur vltimæ confirmationi lidij lapidis
regularis Chriſti Ieſu in ſe aut in ſucceſſore eius; in ore ſi- Mat.18
quidem duorum, vel trium poteſt ſtare omne verbũ huma- v. 16.
num, ſed de verbo fidei quod prædicamus neceſſario tres 1. Io 5.
ſunt qui teſtimonium dant in cælo ſcilicet in Eccleſia, Spi- v.7.
ritus Sanctus ſuggerit, pater aſſerit, ſed verbum incarnatum
viſibile caput Eccleſiæ in ſe & in ſucceſſoribus reſolvit, & Mat.16
poſtremo iudicat, iuxta illud *quidquid ſolveris ſuper terrã* v.19.
erit ſolutum, & in cælis: probate modò ſpiritum veſtrnm, 1. Io. 4.
vtrum ex Deo ſit; qui non vult obedire huic ſupræmæ de- v.1.
terminationi viſibilis capitis reſolventis quod dicitur *hoc eſt*
corpus meum fore verum corpus Domini? non igitur ſedu-
cat vos ſpiritus ille privatus malignus, diſcors ab antiqua Act.19.
ſancta obedientia fidei quam de ore Gregorij Angelicà in v.2.
puritate ſuſcepiſtis; equidem Spiritum Sanctum nunc non 3.Re.19
vidiſtis, nec ſibilum pacificum eius ſenſiſtis, ſed quia (vt S. v.13.
Bonav. ait) Dominum gloriæ in Sacramento abhorruiſtis,
tanquam beſtiæ vivitis, ſanctitatem perditis, blaſphemias,
iuramenta execrationes, fraudes, rebelliones, comeſſatio-
nes, impudicitias admittitis, innumerabiles ſectas, diviſio- Pſ.2. v.
nes, hæreſes ſeu hidras ſerpentinas quotidie fingitis, neque 2.
vna vnius domus familia, vnum in Domino ſentitis, in qui- Prov.2.
bus omnibus, teſtor vos ipſos (qui gloriamini in illis, & v.14.
exultatis in rebus peſsimis) quoniam non mentior, teſtis
ocularis exiſtens confuſionis veſtræ.

60 Sed tu Deus meus nè memineris iniquitatum, ſed
antiquarum miſericordiarum tuarum, transferens de Egip- Pſ.78.
to vineam tuam electam quia ſingularis ferus de paſtus eſt v.8.
eam, recordare noſtri Domine qui facti ſumus contradictio Pſ.79.
vicinis noſtris; ſecundum multitudinem apparitionum tua- v.14.
rum qua miſericorditer dignaris conſolari creaturas tuas, vt Pſ.79.
in cognitionem tui venire per mittantur, oſtende faciem v.2.
tuam, vt omnes ſalvi fiamus, manifeſtare coram Ephraim, Pſ 82.
Ben- v.7.

Beniamin, & Manasse, coram tribubus hæreticis, in se di-
visis, excita potentiam, & imple facies eorum ignominià, vt
vel hoc saltim modo convertantur ad te, appare contra E-
phraim scilicet divites, & terræ fructiferos ostendẽs ei me-
liorem fructum frumenti, & vini tui Sacramentalis, ostende
te contra Beniamin filios potentes, & lupos rapaces, qui cõ-
culcaverunt vineam Anglicam, & Angelicam, ecce Angeli
lucis dimiserunt eam, In direptionem Angelis tenebrarum,
appare igitur benignè coram Manasse primogenità Eccle-
siæ filià Anglicana, modo tui obliviosà, vt memoriam ei fa-
Mat.24 cias, mirabilium tuorum tribuens escam carnis tuæ timenti-
v.22. bus te; Deus nisi abbreviati fuerint dies isti super oppressum
Insignia populi tuum non fiet salva omnis caro, sed caro sancta tua
Anglica Domine pro nobis in Sacramento oblata, fiat propitiatoria:
na leones O vtinam aspiciam leænam, quæ nondum lavit crimen a-
Anglia leæna dulterij in regium leonem, quæ modo ascendit de mari cũ
Dan.7. alis divitiarum, & potestatis nimiæ, super omne quod san-
v.4. ctum est vsque in conculcationem, vtinam inquam aspiciã
Ps 83. leænam istam, avulsam alis suis, & se lavantem mundam in
v.7. mari veræ penitentiæ, vt disponat in corde meliores ascen-
Leæna siones in valle lacrimarum, vt erecta stet vt homo quasi hu-
adulte- mano prædita corde, vt condemnet impiam crudelitatem
rans se suam in Christum Domini, & Sanctos Angelicæ familiæ
lavat in flumi- suæ: O Anglia olim Angelica appellata, quæ conventio tua
ne occi- cum Belial, filia Regis primogenita, in Sanctà Dei Eccle-
datur à sià, revertere, revertere Sunamitis, vt iterum intueamur te,
consorte ò Anglia revertere, vt intueamur etiam hac vice Angelicã, &
leone. pulcherrimam faciem tuam, pronus in terra adorantem
2.Cor.6 Sponsum tuum Jesum Christum pro te in Sacramento o-
v.15. blatum in cibum qui renovabit vt aquilæ iuventutem
Cant.6. tuam, vt manducans hunc cibum vivas
v.12. in æternum. Amen.
Ps.102.
v.5.
Io.6.